




All'esimio cultore
degli studi classici
offre devotamente
l'autore questa sua
memoria.

Prof. S. Piazza
R. Liceo – Padova

HORATIANA

QUIBUS TEMPORIBUS HORATIUM TRES PRIORES CARMINUM
LIBROS ET PRIOREM EPISTULARUM
CONFECISSE ATQUE EDIDISSE VERISIMILLIMUM SIT

SCRIPSIT

SALOMON PIAZZA

D.R PHIL.

VENETIIS
EX OFFICINA CAROLI FERRARI
MDCCCXCV

Estratto dagli Atti del R. Istituto Veneto di scienze, lettere ed arti.
Tomo VI, Serie VII. — 1894-95.

HORATIANA

Priusquam disputationem meam exordiar, liceat mihi pauca tantum in universum de temporibus quibus omnia Horatiana opera composita sint, praemittere, unde facilius quae ad propositam quaestionem pertinent intellegantur.

Usque ad nostram aetatem Horatii scripta nondum ita persanata erant, ut critica arte supersederi posset, neque interpretum commentariis tantopere illustrata, ut viri docti huiusmodi studiis prorsus neglectis ad difficiliora exquirenda se convertere mallent. Quocirca etiam ante saeculum decimum septimum et duodevicesimum nullam operam in describendis temporibus collocaverunt, quibus singula poemata vel integri eorum libelli compositi et evulgati essent. Quamquam in universum notum exploratumque habebant, Horatium post Philippensem demum pugnam et reditum in urbem versus pangere coepisse, amatoria et lusoria carmina iuvenili eius aetati convenire, in epistulis vero animum ingeniumque severioris aetatis proprium de-

prehendi. Sed cum primum in temporibus constituendis haerere coeperunt, contra exspectationem quaestiones a se institutas eximiis difficultatibus obstructas perspexerunt. Quod mihi quidem variis de causis nil mirum videtur:

1) primum enim Horatiana scripta si excutias, ex iis quae ipse poeta profert et patefacit summatim tantum aliquid de aetate qua eclogae exaratae sint eruere licet. Ita exempla ut afferam, de fama gloriatur, quam fingendis carminibus iam collegerat atque singulis satiris calumniatores, qui malignis sermonibus et invidis libellis de eius gloria detrahere conarentur vel aperte insectatur vel occulte lacessit, vel contra eos sese ipsum defendit, ita ut saepius temporis rationem qua satirae se exceperint — generatim quidem atque universe — agnoscere possis. Eclogae contra, quae annum natalem evidenter prodant, ut Epod. 7 « Quo, quo scelesti ruitis... », Epod. 9 « Quando repostum Caecubum... », Carm. I. 35 « O diva gratum, quae regis Antium » quod post subactam Aegyptum concinnavit, perpaucae sunt.

2) Deinde, si rationem consideres, qua Horatiana opera in ipsis veterrimis manuscriptis distributa sunt, ne illud quidem recte statuere conceditur, quo temporum ordine servato variis poesis generibus colendis poeta vacaverit. Nam si a codicibus discesseris, qui singulas operum partes continent, in reliquis omnibus dispositio, licet ea caeco casu et temeritate orta non sit, eiusmodi tamen est, ut quicumque digesserit, non temporis sed metri rationem habuisse videatur.

Itaque series illa antiquitus accepta, ex qua lyrica carmina poematiis versu hexametro scriptis praeponuntur, quam vel nostris diebus Horatii editores religiose secuntur, prorsus a veritate, si tempora respicias, abhorret.

3) Constat denique permulta, quae veteres Horatii interpretes et scholiastae, accurate exhibent, quamvis cognitu dignissima, parum tamen ad definienda tempora prodesse.

Solus Suetonius certiores nos facit, Horatium tribus carminum libris ex longo intervallo, Augusti iussu, quartum addidisse. Ac de epistularum libris monet, priori iam edito alterum emissum esse, sed nihil de interiecto tempore significat.

Admodum igitur viris doctis ipsa poematia sollerti ingenio evolvenda erant et trutina quasi examinanda, ut ex iis quae plus minusve ad res Horatii temporibus gestas spectare viderentur, annos etiam quibus orta essent probabiliter definirent. Hanc ratiocinandi viam primi ingressi sunt Francogalli, Tanaquillus, Faber, Dacierus, alii. Quos inter omnes longe praestitit Massonus, qui primum in « Jani templo reserato » (1) de nonnullis carminibus disseruit, tum copiosius in « Horatii vita ordine chronologico delineata » (2) quo opere et eleganti doctrina et mira industria elaborato « chronologiae Horatianae fundamenta » ut ait Christius, « iecit certissima. » Massoni enim liber, quamvis omni ex parte errorum expers non sit, vel hodie tamen, si summam in commenticiis a veris distinguendis adhibeas cautionem, fons quodammodo dici potest, unde permulta eaque utilissima haurias. Sed Massonus et reliqui, quos paulo supra memoravi, omnes ad unum in singulorum poemation aetate investiganda versati sunt, temporis vero spatia, intra quae integra volumina confecta et foras data sint, circumscribere omiserunt. Quapropter Bentleius, praeclarus ille criticus, qui praesertim apud populares et aequales suos insigni floruit auctoritate, Francogallis et Massono obiecit, ieiuniam illos in singulis tractandis obscurae diligentiae laudem quaesivisse, « in operis vero summa totoque constituendo rem eos admodum infeliciter gessisse. » At sponte intellegitur, vehementer virum doctum erra-

(1) Masson : *Jani templum Christo nascente reseratum.* Roterodami, 1700.

(2) Masson : *Q. Horatii Flacci vita ordine chronologico delineata.* Lugduni Batavorum, 1708.

visse, cum obscuram diligentiam appellaret, quae optimo iure fructuosissima potius et egregia sollertia nuncupanda erat, quandoquidem facilius nobis, si cuiuslibet rei partes bene perspexerimus et cognoverimus, de toto quoque rectum iudicium ferre concedetur. Aequalium igitur studiis et rationibus temere neglectis, intra hos quasi cancellos voluminum natales ponendos iussit. (1)

Serm. lib. I.	intra annos aetatis	26,27,28;	ab	U. C.	715–717
Serm. lib. II.	idem	31,32,33;	»	»	720–722
Epodon librum	idem	34 et 35;	»	»	723–724
Carm. lib. I.	idem	36,37,38;	»	»	725–728
Carm. lib. II.	idem	40 et 41;	»	»	729–730
Carm. lib. III.	idem	42 et 43;	»	»	731–732
Epist. lib. I.	idem	46 et 47;	»	»	735–736
Carm. Saeculare et Carm. librum IV.	idem	49,50,51;	»	»	738–739

Artem poeticam et Epistularum secundum incertis annis.

Atque contendit Horatium eodem tempore non varii sed eiusdem generis poemata composuisse, quae postea in unum librum digesta editurus fuerit. Brevem autem disputationem, Horatii editioni praemissam, superbe conclusit Bentleius affirmans, ex argumentis singulorum carminum et ex Annalium fide constare, intra illos cancellos omnium poemation natales esse ponendos, atque viros doctos, quotiescumque extra illos limites evagaturi essent, toties in errores prolapsuros. Quod vaticinium diu et religiose ab aequalibus magni aestimatum est, donec postremo nostri saeculi eruditis viris, qui in huiusmodi studiis multum profecerant, ridendi materiem praebuit. Ac re vera nostris diebus, quibus id genus quaestiones satis diligenter insti-

(1) Cfr. brevem disputationem Horatii operibus a Bentleio editis praemissa.

tutae sunt, Bentleianarum rationum infirmitas primo quasi obtutu cernitur. Primum emim vir doctissimus tempora quibus Horatiana opera composita, cum iis quibus in lucem edita sint confudisse videtur, quae quidem multum inter se differre ex Epistula ad Pisones evincitur:

V. 386-390:

id tibi iudicium esto, ea mens: si quid tamen olim
scripseris, in Maeci descendat iudicis aures
et patris et nostras, nonumque prematur in annum,
membranis intus positis. Delere licebit
quod non edideris; nescit vox missa reverti.

Perperam deinde arbitratus est, Horatium certis vitae intervallis laboris impatientem eiusmodi requiem animo suo quaesivisse, ut a pangendis versibus per totos annos abstineret. Tum etiam e simplici Satirae I. 8, Epodi 5 et 17 comparatione, quibus poeta veneficam Canidiam incessit, concludendum ei erat Horatium eodem fere tempore varii generis ac metri poematia promiscue scripsisse. Ita carmina aliquot lyrica eodem quo aliquot satiras tempore composita esse consentaneum est. Quamquam nemo infitiatur, poetam iuvenilibus annis satiris magis et epodis componendis intentum fuisse, media aetate lyrica potissimum carmina tractavisse, postrema vero scribendis epistulis, ita tamen ut carmina prorsus non excluderet, praecipue se delectavisse. Nimirum Horatius pro varia vitae aetate litterarumque studiis ac pro reipublicae vicibus ad hoc potius vel illud poesis genus se convertit, at eo tamen ingenio animique indole fuit, ut hac de re non omni ex parte cum Cicerone comparari possit, qui quidem, prout rerum commutatio in civitate facta est, facilius etiam adducebatur ut non amplius in forensibus sed in rhetoricis tantum et de philosophia libris exarandis industriam suam collocaret. Atqui extrema quoque aetate Horatium ad varia poemata promiscue elaboranda et idoneum et proclivem fuisse, ex ep. II. 2. 58 sqq. efficitur, ubi quaerenti

Julio Floro, cur flagitata carmina non misisset, praeter alia haec respondet:

quid dem? quid nom dem? renuis tu quod iubet alter;
quod petis, id sane invisum est acidumque duobus.

E Bentleiana tamen temporum constitutione illud tamen dignum est, quod ordinis seriem, qua varia Horatianorum poematum genera se exceperunt, recte perspexit. In reliquis vero per integrum saeculum doctissimos viros decepit, quin etiam eius rationes tantopere viris doctis arridebant, ut Gesnerus et Tatus, vel tum cum discrepantes sententias deprehenderent, in dubium eas vocare detrectarent, difficultates potius ad arbitrium infringere mallent itaque scrupula eximere conarentur. Exempla afferam. Carmen 24 libri I — ad Vergilium Maronem — vulgo adsignatur anno 730 ab u. c. quo tempore, auctore Hieronymo, (1) Quintilius Varus e vita excessit. Sed liber I carminum e Bentleii rationibus intra annos 725 et 728 confectus est. Quid tandem attulit Tatus ut rerum non exiguam repugnantiam removeret? Hieronymo auctori omnem fidem inconsulte denegavit. Sic C. II. 9 et IV. 12, ambagibus et argutiis exquisitis, intra cancellos a Bentleio constitutos collocaverunt, quamvis eorum tempora istos cancellos egredi ipsi antea credidissent.

Quare huius saeculi viri docti iure meritoque magnopere mirantur quod Bentleii rationes, omni dubitatione exempta, universo fere assensu comprobatae sunt, sibique explanare cupiunt, utrum id dictatoria quasi, qua Bentleius inter eruditos valuit, auctoritate effectum sit, an summa fiducia, qua iudicia sua in brevissima disputatione enumeravit, an ipsius denique rei difficultate et obscuritate, quae aequalium oculos praestrinxerit. (2) Equidem inde id pro-

(1) Cfr. Hieron. *Chron. Euseb. ad ol. CLXXXIX.*
(2) Cfr. W. E. Weber. *Q. Horat. Flaccus als Mensch und Dichter,*

fectum esse opinor quod saepissime temporis spatio humana aetate longiori opus fit, ut quaestiones quae de temporibus enucleandis instituuntur, bene procedant, sed potissimum e tarditate et ignavia quae in huiusmodi studia irrepserat. Itaque Bentleius qui fidenter arbitrabatur, quod falsissimum est, carm. IV. 12 in Vergilium poetam scriptum esse, plane neglexit quartum Carminum librum ex ipsius rationibus intra a. 738 et 739 confectum esse, Vergilium autem iam anno 735 de vita migravisse. Atque Gesnerus contendere quidem ausus est « se singulas Horatii eclogas recognoscentem *diligenter attendisse* si quid esset Bentleianis temporum rationibus adversum, nec deprehendisse quidquam quod momentum aliquod ad eas evertendas haberet. » Quae diligentia quam parvi aestimanda sit, uno ostendam exemplo. Plane oblitus vir doctus Horatium anno 8.° a. Ch. n. decessisse, coniecturam illam ex qua Carmine I. 35 clades a Quinctilio Varo anno 9.° p. Ch. n. accepta respicitur, pro ineptissima « non valde firmam » appellavit.

Ac tamen Bentleius, licet tot ex partibus tam falsa reiciendaque attulerit, in constituendis temporibus, de quibus mea disputatio fiet, quodammodo recte iudicavisse videtur.

Enimvero si exceperis, quod Horatium credidit integrum annum a fingendis carminibus prorsus abstitisse atque singulos carminum libellos seiunctim emisisse, tempora, quibus carminum tria volumina et priorem epistularum librum iam publici iuris facta esse statuit, eadem fere sunt atque illa quae Frankius, in huiusmodi quaestionibus prin-

Jena, 1844, p. 70; Car. Franke, *Fasti Horatiani*, Berolini 1839, p. 1, 4; Kirchner, *Quaestiones horatianae*, Numburgi 1834, p. 2; Christ, *Fastorum horatianorum epicrisis*, Monachii, 1877, p. 4, 5; Apitz. *De aetate poematum horatianorum a Bentleio inventa*, Berolini 1853; Leps, *Ist die Meinung Bentlei's über die Zeit in der die einzelnen Bücher der Oden verfasst worden sind, die richtige?* (Neurupin 1828).

ceps, constituit. Cuius rationes, non temerariae illae, sicut olim Bentleianae, sed — in universum quidem — diligenter ponderatae explorataeque omnium fere assensu comprobantur. Sunt vero alii, qui, praeeunte Kirchnero, et carminum (L. I-III) et epistularum (L. I.) editionem in posteriores demum annos (735, 736) protulerunt. Eorum in numerum referendi sunt Campius, Nowotnyus, Nestlerius, Krawutschkius, Anspachius, (1) atque imprimis Christius, qui quidem sententias suas ut illustraret firmaretque, libellum « Fastorum horationarum epicrisis » inscriptum edidit (Monachii 1877). Omnes igitur quos nunc commemoravi docti viri miro atque singulari consensu Frankianam temporum rationem, quod ad carminum tres priores libros et ad priorem epistularum attinet, funditus evertere conantur et in antiquum sed immeritum honoris locum Kirchnerianam restituere. (2)

Jam anno 1881, cum Hartelius, praeclarissimus vir mihique praeceptor carissimus hanc mihi quaestionem solvendam proposuisset, studiose religioseque Vindobonae eam tractavi, atque magistro meo, de humanitatis studiis tam optime merito, legendam et iudicandam commendavi. Cuius grave atque integrum iudicium cum mihi haud spernendum esset, valde cupiebam disputationem meam statim publici iuris facere. Sed compluribus curis atque docendi

(1) Campe, *Zu Horatius* Neue Jahrb. f. Philologie 1877. S 129-142; Fr. Nowotný *Quo tempore tres priores Horatii carminnm libri scripti et editi sint. Gymnasial programm.* Iglau, 1877-78; Fr. Nestler, *Quo tempore Horatii tres priores carminum libri publici iuris facti sint,* Pragae, 1879; Alois Krawutschke, *Quibus temporibus Horatium tres priores carminum libros edidisse verisimillimum sit, Gymnasialprogramm,* Troppau, 1889; Ed. Anspach, *Die Horazischen Oden des ersten Buches in Bezug auf Interpolation, Aufbau und Zeit der Abfassung Gymnasialprogramm,* Cleve, I. Theil 1888, II. Theil 1889.

(2) Kirchneriana ea potissimum falsa conictura nititur, **ex qua** omnia carmina ubi signa militaria commemorantur, **ad a. 734, quo** Augustus a Parthis ea recepit, referuntur.

potissimum munere distentus eam emittere supersedi atque, ut Horatii verbis utar, « membranis intus positis » neglectam in ... 13um annum « pressi ». Cum vero nuperrime animadvertissem non paucos earundem atque Christii rationum aemulos exstitisse, qui vel omnino vel aliqua ex parte doctissimo viro accesserint, operae pretium esse iudicavi disputationem meam denuo inspicere et retractare, atque omnibus scriptis vel opusculis, quae inde ab a. 1881 usque ad a. 1894 edita ad rem pertinere viderentur, non neglectis, e tenebris in lucem eam proferre constitui.

Disputationem duabus partibus ita digessi ut prima parte de carminibus singillatim dissererem quae Christius aliique temporis intervallo quod annum 730 subsequitur assignaverunt; altera vero de aetate carm. I. 3 quaererem atque tempora definirem quibus tres priores carminum libros et priorem epistularum confectos et publici iuris factos esse verisimillimum videretur.

I.

De tempore Carminis 2 Libri I.[1]

Veterum interpretum magna turba, qui parum quidem diligenter tempus quo poeta hanc odam concinnaverit exquirere studuerunt, facile adducti sunt ut ad illud tantum temporis intervallum referendam eam esse crederent quod Caesaris necem proxime consecutum est. Cum autem rerum scriptores tradiderint, occiso Caesare, fulmina, nives grandines, alia huiusmodi naturae eventa tamquam prodigia imminentis reipublicae calamitatis exstitisse, scholiastae vero Acro et Porphyrio etiam Tiberim amnem tum temporis super ripas effusum narraverint, haec cum portentis ab Horatio narratis comparaverunt, ac mira quadam eorum inter se congruentia inventa suae hinc sententiae fidem et confirmationem accedere arbitrati sunt.

Sed recte Christius monuit scholiastas « ex verbis poetae male intellectis coniecturam satis futilem fecisse » (1) et commentos esse Tiberim amnem a. 710 vel 711 ab u. c. alveum excessisse. Acronis enim Porphyrionisque opinionem, quippe quae hominum fortasse sermone, nulla vero rerum scriptorum firmiori auctoritate fulciatur, falsam prorsus reiciendamque esse apparet, nisi verbis Dionis Cassii — καὶ ἰχθὺς ἐκ τῆς θαλάσσης ἀμύθητοι κατὰ τὰς τοῦ Τιβέριδος ἐκβολὰς ἐς τὴν ἤπειρον ἐξέπεσον (2) — fluvii eluvionem significari perperam statuas.

Jam diu ante Christium Massonus, quamvis et ipse,

(1) L. l. p. 13.

(2) Dionis Cassii Cocceiani *Historia Romana* ed. L. Dindorfius, Lipsiae 1863, lib. 44,17,8.

meo quidem iudicio, longius a veritate aberraverit (anno enim 732 odam assignat) istam tamen de anno 710 vel 711 opinionem fictam esse animadvertit eiusque auctores firmis argumentis refellere conatus est. (1) Quare facile credas post Massonum et Frankium non amplius quemquam exstitisse qui de temporibus interempto Caesari proximis cogitaret. Ac tamen vir doctus Fuerstenauius, cui nostris diebus Duentzerus adstipulatur odam anno 713, cum bella civilia iterum exarserunt et ex Cassii Dionis testimonio Medi rebellarunt, compositam credidit. (2)

At nullo negotio si carmen tantum perlegeris, statim intelliges, viros doctos in tanto errore ideo permansisse, quod unice ad verba « Caesaris ultor » attenderunt. Quae quidem verba ut paulo infra argumentis demonstrabo, non propria ac peculiari significatione idem valent ac « patris ultor, bellorum ope adhibita » sed graviori quadam et tectiori vi subiecta eiusmodi ultorem designant, qui ab armis abhorrens, sedatis intestinis discordiis, labenti republica erecta, pie renovatam Caesaris memoriam posteritati atque aeternitati commendaturus sit.

Sed nostris diebus omnes uno fere ore hanc odam ante pugnam Actiacam ortam esse negant. Ac recte ita statuunt, non ea vero de causa, quam Mitscherlichius (assentiente Grotefendio) attulit affirmans nullum Horatii carmen lyricum, sive levioris sive gravioris argumenti, ante a. 724 compositum esse. (3) Id enim, ne prorsus commen-

(1) Massonus, *Q. Hor. Fl. vita ord. chron. delineata* (Lugd. Bat. 1708) p. 41-44 et p. 233-257.

(2) Cfr. A. Fuerstenau, *De carminum aliquot Horationarum chronologia*, Hersfeld 1838; et *Zeitschrift für Altertumswiss.* 1840, p. 669; Duentzer, *Kritik und Erklärung der horaz. Gedichte,* III. B. Braunschweig 1843, p. 18; Dio. Cass. 48, 24 sqq.

(3) Cfr. Grotefend, *Schriftstellerische Laufbahn des Horatius*, Hannover 1849; et *Horatii vitam* a Grotefendio descriptam, quae legitur in Encyolopedia litterarum ab Erschio et Grubero edita, vol. 10, p. 454 sqq.

ticium appellem, testimoniis plane destitutum apparet. Sed quae poeta hoc carmine de republica sensit et expressit, exhortationes in Octavianum factae, ut summi imperii potiretur pacemque restitueret, carminis denique consilium vehementer fidem faciunt, haec ante bellum Actiacum scribi non potuisse. Neque enim ante annum 723, etsi Horatii amicitia in Antonium iam diu vacillare, et claudicare, coeperat, familiaritatis tamen, qua ad Philippos usus erat, memoria prorsus animo excesserat, ut, qui olim ab Octaviano alienus fuisset, repente eius fautor fieret eiusque gloriam augeret. Ne multa, liceat mihi contendere et Horatium, cum carmen scriberet, in amicitiam Maecenatis iam receptum artissimoque vinculo coniunctum fuisse, et Romanos cives tum temporis iam perspexisse admodum pacis interesse, ut ait, Tacitus, omnem potestatem in unum, cui omnes confiderent, conferri. Quam ob rem videtur mihi Christius rectius fortasse acturus fuisse, si non solum mendaciorem illorum opinionem, qui odam annis Caesaris interfecto proximis vindicant, refellisset, sed etiam poetae in componendo carmine consilium diligentius explorasset, exploratumve verbo quidem attigisset, quo dilucidius pateret, Horatium ante bellum Actiacum ab Octaviani partibus alieniorem, etiam a pangendo hoc carmine, ut par fuit, abhorruisse.

Iam ad reliqua quae ad quaestionem pertinent transeo. Illorum in numerum referendus est Christius, qui quidem, cum haudquaquam affirmare dubitent carmen anno 727 vel 731 vel 732 scriptum esse, quibus temporibus Tiberis amnis alveum excessit, (1) incerti tamen pendent, quem potius horum annorum reliquis duobus praeferant aptioremque probent. Qua in iudiciorum discrepantia disputationis ambagibus opus non est ut intelligas Christii sententiae in eo tantum accedendum esse quod carmen I. 2 anno 727 adscribi

(1) Dion. Cass. l. 53, 20; 53, 33; 54, ..

non posse affirmavit. E Dionis enim narratione efficitur diluvium tum temporis factum pro fausto augurio vulgo acceptum, cuius rei prorsus contraria versus 25 sq.

> quem vocet divum populus *ruentis*
> imperi rebus?

indicant. Unum tamen Christium, virum doctum, in quo raro ingenii acumen desideres, praeteriit, argumentum quod contra annum 727 attulit, eo gravius contra annum 732, quem ipse ceteris tamquam odae natalem praetulit in promptu esse. Dionis enim auctoritatem secutus, ut concedam Tiberim amnem anno 732 fines suos transgressum esse et Romanos alius generis calamitatibus afflictos esse, constat tamen cives tum temporis, intestinis discordiis iam diu repressis, ad communem in republica pacem et concordiam redactos esse. Num fieri potest ut versus « quem vocet divum.... » extremam imminentemque reipublicae cladem denotantes aliqua ratione cum rerum statu anni 732 cohaereant, quo tempore, quantum sane ex Annalium fide evincitur, naturae tantum, non civiles tumultus irruperunt, quin etiam publica tranquillitas Augusti opera dudum restituta integra intactaque manebat, ac stabilior certe firmiorque quam anno 727 erat? Quodsi huius rei poetam nullam rationem habuisse opineris, crimini etiam ei vertendum sit, quod praecipuas quae a poetis observantur leges neglexerit. Neque magis quae Schuetzius (1) pro anno 727 attulit aliquid probare atque evincere mihi videntur. Vir enim doctus, licet Frankio concesserit, portenta a poeta commemorata ad prodigia illa pertinere, quae post Caesaris interitum spectata esse scholiastae tradunt, carmen tamen

(1) Schuetzius *Horatius Flaccus erklärt von Hermann Schuetz* I. Theil Oden und Epoden, Zweite Auflage, Berlin 1880. In hac editione in scholarum usum confecta cum ceteris explicandis operam dedit, tum in constituendis temporibus uberius quam priores nostri saeculi interpretes versatus est (cfr. p. 7).

initio anni 727 convenire putat, quo tempore Augustus (teste Dione) oratione in senatu habita deponendi imperii consilium patefecit. Horatium igitur opinatur Schuetzius extremis duabus strophis fictum illud Augusti propositum simul significare et deprecari voluisse. At ne iterum commoneam, versum 25 sq. ad annum 727 nullo pacto spectare posse, nonne coniectura sua nimis assequi velle tibi videtur, cum contendat, odam ipsis primis diebus anni 727 ortam esse? Nam a. d. XV. Kal. Febr., si Censorinum auctorem sequaris, vel Id. Jan., si Ovidii verbis maiorem addere fidem malis, suadente L. Munatio Planco, Octavianus Augusti cognomine honoris causa ornatus est. Quam honorificam appellationem poetam non omissurum fuisse, si post alterum illorum dierum carmen composuisset, haud cunctanter affirmare ausim. (1) Sed ut disputatio mea eo se referat

(1) Schuetzii sententiae album, ut ita dicam, calculum adiecit Anspachius, sed ut naturae portenta ab Horatio descripta interpretaretur, tam portentosa et ipse atque mirabilia finxit ut somnia mihi in febris ardore delirantis videantur. Brevitatis causa ipsius verba referam: « Man fürchtete für das ganze Reich ....., eine völlige Umwälzung der bestehenden Verhältnisse und Neugestaltung (nova monstra). Vielleicht wollte Horaz in Proteus an Decimus Brutus erinnern, der nach Caesars Tod in seine Provinz Gallia Cisalpina zog. In « Tiberis qui undis violenter litore etrusco retortis iit deiectum monumenta regis etc. » ist das Omen für das spätere Verhalten des Antonius gegeben, der nach seinem Kriegszuge gegen Brutus mit Lepidus und Octavianus zurückkehrte und die Proscriptionen erliess, womit er alle bürgerliche und gesellschaftliche Ordnung untergrub. Desswegen nennt Horaz offenbar die monumenta regis (Numae) und die templa Vestae; vgl. 27 « minus audientem carmina Vestam ». Dies that aber alles Antonius, der die Calpurnia, Caesars Gattin, in sein Haus nahm (vgl. « uxorius amnis » und auch das Verhältniss des Antonius zur Kleopatra) : dum se iactat ultorem : Caesaris necati. Doch solche Greuel konnten nimmermehr die Billigung der Götter erhalten (vgl. Iove non probante) und sie brachten dem Antonius keinen Segen (sinistra labitur ripa)... Nicht der Tiber-Antonius, sondern der Mercurius-Octavianus sollte nach Juppiter Wunsch Caesars Rächer sein. Geschickt wäre dann auch die Verantwortung für die damaligen Proscriptionen von Octavian auf Anto-

unde digressa; exquirendum est nunc mihi sitne probabile annum 731 vel 732, quibus Christius odam assignavit, revera eius natalem fuisse.

Videtur mihi Christius sibi quoquo modo persuadere voluisse, Horatianis versibus necsssario fluminis tantum inundationes respici, quarum mentio historicorum libris praecipue Dionis contineatur, indeque adductus esse, ut eidem temporis intervallo, cui pridem Massonus et Kirchnerus, odam adscriberet, cetera quae huic opinioni adversantur neglegeret. Nec primus hanc ratiocinandi viam ingressus est, quandoquidem plurimi ante Frankium viri docti, cum quaererent cur maiori quam consueta ubertate naturae tumultus hoc carmine pingerentur, historicorum libros, imprimis Dionis, in his rebus referendis singula fere consectantis, evolverunt et miro studio inspexerunt, ut narrationes reperirent, quae cum Horatiana descriptione omnino congruerent. Itaque Christius locum Dionis: « ἥ τε πόλις πελαγίσαντος αὖθις τοῦ ποταμοῦ ἐπλεύσθη καὶ κεραυνοῖς ἄλλα τε πολλὰ ἐβλήθη καὶ οἱ ἀνδριάντες οἱ ἐν τῷ Πανθείῳ, ὥστε καὶ τὸ δόρυ ἐκ τῆς τοῦ Αὐγούστου χειρὸς ἐκπεσεῖν, πονούμενοι

nius geschoben (womit übrigeus Dio 47.7 zu vergleichen) sowie dem Antonius die Berechtigung abgesprochen sich als Caesaris ultor zu gerieren (Iove non probante); da das Rächeramt nach Zustimmung der Götter dem Octavian übertragen sei. » (l. l. P. l. p. 18). Haec omnia plane indigna esse quae argumentis refellantnr, omnes fere, opinor, intellegunt. Eqidem vero, cum ista legissem facere non potui quin cum iis compararem quae olim scripta inveneram in « Sophoclis vita » ab A. Schoellio delineata. Vir doctus enim miram admodum atque singularem interpretandi viam ingressus affirmavit Sophoclem eo consilio nobile illud. « Antigonae » canticum – ἔρως ἀνίκατε μάχαν (v. 781-804) – composuisse ut civibus suis ostenderet optimo iure Aspasiam precibus a Pericle petivisse ut bellum Samiis inferret, atque de industria « Oedipoda regem » scripsisse ut consiliorum quae Pericles de repnblica haberet, patrocinium susciperet, atque Aspasiam, Phidiam, Anaxagoram, Pericli carissimos, contra obtrectatores defenderet. Quae quidem..... atque alia eiusdem generis innumerabilia sibi tantum virum doctum persuasisse cupio.

οὖν ὑπό τε τῆς νόσου καὶ ὑπὸ τοῦ λιμοῦ... νομίσαντες οἱ Ῥωμαῖοι οὐκ ἄλλως σφίσι ταῦτα συμβεβηκέναι, ἀλλ' ὅτι μὴ καὶ τότε ὑπατεύοντα τὸν Αὔγουστον ἔσχον, δικτάτωρα αὐτὸν ἠθέλησαν προχειρίσασθαι... » (1) cum Horatianis versibus conspirare vult miraturque post Massonum exstitisse qui « rei patefactae nebulam offunderent ». — Equidem tantam ut credam intercedere similitudinem inter Horatii et Dionis locum, vix adduci possum, apud alterum enim de famis calamitate narratur (πονούμενοι οὖν ὑπό τε τῆςν νόσου καὶ ὑπὸ τοῦ λιμοῦ), poetae contra verba, si eius cogitationem assequi voluntatemque recte interpretari velis, huc praecipue redeunt, ut republicae imminentem ruinam significent, sicut clarius intellegitur e tribus praegressis versibus, ubi, Parthos Romanis civibus graviter opponens, civiles dissensiones reprobat. Immo duos locos immane quantum discrepare contenderim.

Iam vero eo perveni ut operae pretium sit, quid viri docti de prodigiis Carmine. 2° memoratis senserint, investigare, atque propius exquirere, sitne iis tantum tribuendum ut praecipuum temporis indicium habeantur. Affirmat Frankius quod ab interpretibus gravissimum temporis indicium iudicatur sibi pessimum esse, conaturque demonstrare quanto errore capti sint ii, cui « insolitam huius illiusve anni tempestatem, qualis ab historicis pingatur, ad amussim descriptioni horatianae respondere » (2) velint. Scholiastarum vero auctoritate et Vergilii versibus nixus, quos poeta est imitatus, « Horatium » negat « tempestatem aliquam et Tiberis inundationem respexisse, quae eo tempore, quo carmen scriptum, accidit » sed ea affirmat respexisse portenta, quae Iulii Caesaris mortem secuta sunt. Christius contra « veram praesentis temporis imaginem expressam » opinatur. Id iam ante eum Weberus defendere

(1) Dio 54, 1. 1 sq.
(2) L. l. p. 141.

studuit, his usus verbis: « (Der Dichter) konnte ohne Verletzung der dichterischen Treue, welche die Alten so gewissenhaft halten, als wir nur je die bürgerliche gar nicht sagen : Vidimus flavum Tiberim, wenn er nicht ein kurz vorher erlebtes Begegniss im Sinne hatte » (1) Quae opinio quamvis repudianda non sit, eiusmodi tamen est, cui omnino accedere nequeas. Utuntur enim poetae legibus suis, quas saepe vel aliqua ex parte vel prorsus commutant, neglegunt, ut ingenio suo indulgeant, et poeticam, quam iis libenter largimur licentiam sibi sumant. Quid, si Tacitus verbis « Vidimus sub divo Vespasiano Veledam » (2) utitur, ut res ante triginta annos actas commemoret? An rerum scriptori, cuius narrationis sublimitas poetico fere colore suffusa est, eiusmodi libertatem concedemus, Horatio poetae non item ?

Iis vero quae Frankius statuit, illud potissimum quod ipse agnoscit refragatur, eluvionis anno 710 vel 711 factae nullum fidum exstare testimonium. Ait enim vir doctus « Nusquam quidem, fateor, memoratur Tiberis inundatio, quae anno 710 vel 711 fuerit, ab historicis ». Sed ne a poetis qnidem. Vergilii enim versibus quos Horatius evidenter imitatus est (Georg. I. 466-489) ne verbo quidem de Tiberis diluvio mentio inicitur. Quodsi tum quoque Tiberis ripas excessisset et aedes sacras divorumque templa evertisset, estne quaeso verisimile, haec Vergilium praeteriturum ac Eridanum potius, fluvium longe remotum « stabula cum armentis ferentem » commemoraturum fuisse ? De prodigiis solis tantus dilatus erat rumor, ut rerum quoque scriptores et poetae illius aetatis taciti id praeterire nequirent (3). Equidem igitur neque Frankio neque Christio rursus et Webero plane assentiri possum. Quamquam

(1) L. l. p. 179.
(2) Tacitus, Germania, 8.
(3) Cfr. Tibul. 2, 5, 71; Ovid. Metam. 15, 782; Dio Cass. 45, 27.

Christii et Weberi sententiae sine dubio illud suffragari opinor, quod mirum quantum ad commovendos animos valet, si rerum externarum tumultus depingantur, qui sub legentium oculos incurrerint. Rebus enim quas ipsi conspexerimus, maiorem fidem adiungimus. Praeterea iis describendis facilius quod sibi proposuerat assequi poterat Horatius quam si prodigia et tempestates iam longius remoti temporis commemoraret. At rursus opponendum est Christio et Webero, poetam scilicet naturae tumultus indicare noluisse, qui artiori quidem spatio circumscripti sint. Nam artificiosa illa verborum collocatione, quam grammatici χιασμόν appellant (terris arces urbem gentes) cum naturae eventa designaverit quae diversis locis intra fines Romani imperii inclusis acciderint, verisimile etiam fit ea non simul sed temporibus satis magno intervallo disiunctis accidisse. Quae cum ita sint, videtur mihi a veritate multum non abesse qui censeat, Horatium eiusmodi tempestates, portenta, eluviones, similia respexisse, quae saepius iterumqne visa sint, quorum tamen tempus quo acciderint propius definire nobis non liceat. Atque saepissime Tiberim agros inundasse e locis e Frankio diligenter collectis statim intellegitur. Prodigia igitur, mea quidem opinione, tanti existimari nequeunt, ut gravissimum in definienda eclogae aetate habeantur. Quodsi veram causam agnoscere cupias cur tantum iis tribuerint viri docti inde demum, ut iam monui, quaerenda est, quod in magna, quam poeta in depingenda portenta insumpsit, descriptionis ubertate offenderunt. Itaque ea sola de causa Peerlkampius, audacissimus ille in arte critica exercenda arbiter, versus 5-12 et 17-24 omittendos iussit. Qud quidem sibi tantum eum persuasisse cupio.

Sed hanc quaestionem ut mittam, satis, opinor, superque apparet magis quam ad portenta, ad carminis summum consilium attendendum esse. Poetae enim consilium si recte perspexeris, facilius etiam animadvertes quae fuerit reipublicae condicio a poeta adumbrata cuique potissimum tempori vindicanda. — A portentis igitur exorsus legentium

animos ad odae summam rectius amplectendam componere voluit. Nimirum rerum externarum descriptione tristior domesticae perturbationis imago exprimebatur, quo libentius Augustus restituendi imperii maiorumque disciplinae redintegrandae provinciam susciperet. Tiberis vero commemoratione, qui retortis undis, vehementi impetu ad fontem relapsus imperanti naturae iniuriam facit, qui quamvis « patrius amnis » urbem suo patrocinio tutelaeque commissam insectatur, apte conciliabantur legentium animi ut horrore sceleris afficerentur, cui factionum principes se obstrinxerant, dum nimia ultionis cupiditate incensi arma contra eos sumpserant, quos potius defendere et tutari necesse erat. Neque paululum tantum hac pictura efficiebatur ut cives animadverterent a partium dissensionibus abhorrendum esse. Pergit deinde poeta ad bella civilia aperte reprobanda tam turpia et cruenta, ut tanta crudelitate a civibus contra cives saevitum esse, posteris vix credendum sit. Urget deinde interrogando, quomodo scelus partium discidiis susceptum expiandum sit; utrum ex Apolline, Venere, Marte auxilium quaerendum, an potissimum e Mercurio, qui in unam cum Octaviano coaluerit personam. — Summa igitur carminis in eo posita est, quod Octavianum ut potentissimum dignissimumque impellit ut scelere expiando iacentem rempublicam adiuvet. Scelere autem quod Romanis crimini dat, nihil aliud significare vult, quam domestica certamina, quibus arma citius contra cives quam contra hostes arripuerant (v. 21 audiet cives acuisse ferrum...) Iovis enim et Minervae ira non modo contra cives effunditur, qui Caesarem interfecerant, sed etiam in eorum capita, qui per speciem ultionis perficiendae bella civilia non intermiserant. Quare Juppiter mimium ulciscendi studium Tiberis condemnat, qui uxori Iliae, ex Aeneae stirpe genitae, ut satisfaceret, extra ripas egressus ingentem urbi damna intulerat. Iam vero calamitatis finem ut faciat, quis tandem eligendus, cui potius communis sceleris expiandi munus deferendum nisi Octaviano, omnium potentissimo?

Neque id profecto quotidianis tantum religionis sollemnibus deorumque sacris perficiet, sed alter quasi Mercurius e caelo in terram degressus, qui, gladio in vaginam recondito et pacificatoris persona induta, patriae salutem expediturus sit. Hanc enim solam sceleris expiationem intelligendam esse, inde agnoscitur quod Octavianus non Apollini idem et par inducitur sed Mercurio, quippe cui et Graeci et Romani poetae, praeter cetera alius generis, munus etiam interpretis hominum et deorum detulerunt, auctoris bene constitutae civitatis, ab armis et cladibus abhorrentis, artes et disciplinas adiuvantis, quarum ope mores hominum emendarentur, animi excolerentur. Celebratur igitur Octavianus « Caesaris ultor » sed nobiliori illa ulciscendi significatione, ut pace restituta patris memoria pie renovetur itaque beneficia a patre in ipsum conlata huiusmodi beneficio pensentur. Quodsi quis an ita expiatio interpretanda sit subdubitet, ad veramque ultionem referendam censeat, nescio an prorsus dubitatio ei expellenda sit, cum animadvertat inconstantiae criminis arguendum esse Horatium, si alio quoquo modo verba explicet. An verisimile est tam ineptum eum fuisse, ut primum Jovem induceret, ulciscendi studia et bella civilia iam diu reprobantem, deinde vero Octavianum exhortaretur ad arma contra adversariam civium factionem sumenda, cuius ipse particeps fuerit poeta?

Carminis consilio ita explorato et perpenso, meo iure colligam poetam haec scribere non potuisse nisi Antonius et Cleopatra iam defuncti essent, nisi Octaviano a periculis tuto servandae omnino reipublicae facultas data esset. Iam illud quoque e carminis indole efficitur, Horatium tam impense erga civitatem auxilium imploraturum non fuisse, si Octavianus munus illud Mercurii vel pacificatoris iam iniisset. Octavianum autem iam inde ab annis 725 et 726 operam dedisse, ut melioribus institutis et legibus rempublicam temperaret, documento sunt quae « Monumento Ancyrano » continentur, cuius auctoritati libenter fidem habebis. Ubi enim de rebus anno 725 gestis verba fiunt, celebratur

Augustus quod cives inter se inimicos in gratiam reconciliaverit, populi recensum egerit, senatum legerit et ad pristinum splendorem revocaverit; atque ex iis quae ad annum 726 spectant, docemur Augustum novis legibus latis magis magisque corruptos mores emendasse, templa deorum immortalium vetustate delapsa refecisse. Romani vero ineunte anno 727, cum probe perspexissent, rerum summam et totius imperii ius ad Caesarem iam delata, eo tamen pacto ut reipublicae nova quasi fundamenta iacerentur, concussae opes firmarentur, Octavianum « Augusti cognomine » aliis insuper tributis honoribus insigniverunt, ut ostenderent quantopere principi eiusque regendae civitatis arti et rationi confiderent. Quantopere autem proximis annis, adiuvantibus viris usu sapientiaque praestantibus, ut Maecenate et Agrippa, eximiis poetis consiliorum sociis, ut Vergilio et Horatio, in inceptis magis magisque institerit Augustus, cum e rerum scriptorum, ut Dionis Cassii et Suetonii, tum e poetarum testimoniis arguitur, praecipue Horatii, qui carmina composuit (III 1-6), quae cum ad res ab Augusto gestas vel gerendas partineant, recte πολιτικά nuncupari possunt.

Sed omnia ab Augusto acta persequi et colligere mihi opus non est; de quibus et veteres et nostrorum dierum scriptores evolvere atque inspicere facile poteris. Illud modo ex iis quae disputavi efficere mihi liceat, vehementes Horatii exhortationes, ut Augustum ad liberandam a discrimine civitatem impelleret, anno 732 non necessarias futuras, et ridendi materiem praebituras fuisse. Concedatur ergo, opinionem illam de anno 732 a Christio prolatam, e solo carminis consilio recte perspecto tamquam falsam reiciendamque deprehendi.

Ne quid tamen eorum neglexisse videar, quae Christius suae sententiae favere opinatur, de altero quoque quo usus est argumento brevi disseram. « Ne illud quidem » inquit, « nihil ponderis habere dixerim, quod Horatius minus gratum patrono suo Caesari fecisset, si in sylloga carminum

edenda tam insigni loco, sive ut Pindari verbis utar, ἐν προσώπῳ τηλαυγεῖ vetus aliquod atque dudum divulgatum carmen, non novum praesentique rerum statui adcomodatum posuisset » (1). Quae quidem paululum mihi ponderis habere videntur. Nam ut mittam, libellos re vera non Augusto sed Maecenati dicatos esse atque parum nobis constare, disposueritne poeta carmina ea, qua hodie digesta sunt ratione, id potius commoneatur Christius, nequaquam Horatium reverentiae, qua Octavianus ei colendus esset, oblíturum fuisse, si in emittendis libellis insigni loco non carmen nuper editum scd dudum divulgatum posuisset, at omnibus tamen magnopere acceptum, quippe quo Caesarem in eodem cum Mercurio genere ac numero habuisset, egregiis patris et principis nominibus ornavisset. Sed haec hactenus.

Iam vero priusquam quae mihi de tempore quo carmen ortum videatur, exponam, pauca de iis proferam quae Frankius anno 732 adversari statuit. « Quis » inquit, « non miretur, ut unum afferam, Augusti expeditionis in Hispaniam a. 728-30 susceptae nullam mentionem factam esse? »(2) Quod argumentum si parum tecum consideraveris, prorsus exile esse elucebit. E solo enim poetae silentio ducitur. Quam circumspecte vero ista probandi ratione procedendum nobis sit, neminem fugit, quandoquidem raro nobis pro comperto affirmare licet, scriptorem, quicumque sit, alicuius rei mentionem inicere debuisse, scriptoris enim mens plerumque, sui, ut ita dicam, est iuris, non nostrae voluntati et arbitrio subiecta.

Quaeritur nunc sitne carmen anno 725 vindicandum. Rem pancis absolvam : inest enim ornatissimis illis odae versibus talis sententiarum ordo, quae, si recte quidem poetae consilium paulo supra aperui, ad hanc aetatem apte

(1) L. l. p. 41.
(2) L. l. 146.

convenire, ad illud tamen intervallum potissimum pertinere videantur, quo Augustus magno comitante exercitu, ex Oriente Romam rediturus erat, ut de pugnis Actiaca, Dalmatica atque Alexandrina splendidos triumphos ageret. Neque ab hoc temporis spatio deduci velim, Sicut enim antea monui, Octavianum inde a reditu ex Oriente poetae vota explere coepisse, ita nunc notandum mihi videtur, neque Horatium carmen ad Augustum a patria absentem, militiae muneribus intentum, missurum, neque Caesarem poetae voluntati obsecuturum fuisse, nisi iam Antonius defunctus eiusque sociorum et fautorum vires deminutae vel prorsus debilitatae essent. Accedit quod « magni triumphi » Caesari optantur, qui, quam apte ad splendidos illos anno 725 agendos referri possint, non est qui non animadvertat. (1) Id prorsus neglexit Weberus, qui carmen iam primo vere anni 723 conscriptum esse opinatur. Argumenta a viro docto pro anno 733 prolata (2) statim hic excutere mihi libet.

Fatetur Weberus carminis lectione ita se affici ut illis versibus extremum contineri documentum amicitiae sentiat, quam Horatius cum Antonio eiusque factione contraxerit, Maecenate auctore sensim dissolverit, post Actia-

(1) De triumphis magnopere ab aliis doctis viris dissentit Schuetzius, his usus verbis; « ames triumphos » und « dici princeps » bezeichnen wirklich etwas geschehenes; erst im folgenden verse (51 neu sinas Medos equitare inultos) liegt eine Aufforderung zu dem was weiter geschehen soll (l. l. p. 7). Unicuique scilicet quod vult atque praefert placere potest. Nescio tamen quo pacto in Horatio saepius quam in alio poeta illustrando interpretum sententiae variae ac discrepantes sint. Hoc autem loco magis attendendum fuit docto viro ad rerum et verborum cohaerentiam, quae eiusmodi seriem efficiunt (serus redeas — diu intersis — neve te tollat — hic ames triumphos — hic ames dici — neu sinas), ut, inter se apta et colligata, non partim ad praeterita, partim ad futura sed ad unum idemque spectare videantur.

(2) L. l. p. 178 sgq.

cam pugnam omnimo praeciderit. Verbis autem « uxorius amnis » « Jove non probante » ex Weberi sententia, indulgenter, at clare tamen, ostendit poeta ulciscendi studia se contemnere et triumvirum consilia ab armis non discedendi, nisi Caesaris interfectores de medio sustulissent, civibus indigna esse significat, quibus patriae saluti prospiciendum sit. Sed quis tandem tanto discrimini auxilium feret? Audi modo Weberum: « Poeta v. 29 Antonium, non Octavianum alloquitur ». Haec tamen omnia quae vir doctus protulit ut carmen primo veri anni 723 vindicaret, meo quidem iudicio coniecturis fulciuntur iisque prorsus facileque refellendis, si illud excipias, quod Horatium ulciscendi studia contemnere affirmavit. Nam primum de poetae moribus recte incorrupteque si iudices, facile Webero concedes vulgarem assentatorem eum non fuisse atque Octaviani partibus tum favere coepisse, cum imperium ad unum deferri reipublicae interesse vidisset. Sed carminis lectione ita te affici non negabis, ut eo tempore ortum putes, quo Horatius ad Caesaris amicitiam iam accessisset. Quod si concedas, quomodo, quaeso, inconstantiae criminis purgandus esset nobis Horatius, si v. 29 Antonium tecte significasset, extremis vero versibus, Caesarem appellans, omnes spes in solo Octaviano se reposuisse diserte planeque ostendisset? Neque silentio praetereundum, nullo modo Octavianum anno 723 pacificatoris munere dignum haberi potuisse. Ex quo enim cum turpi femina Cleopatra coniunctus fuit, Romanorum benevolentiam amplius sibi allicere non potuit. Atque si ordini, quo carmina nunc digesta nobisque tradita sunt, aliquid tribuere velis et hanc disponendi rationem (quod ad tria priora carmina spectat) ab ipso Horatio profectam censeas, eum scilicet tam ineptum futurum, tantopere quid deceret neglecturum fuisse negabis, ut carmini ad Maecenatem dicato eclogam insigni loco subiceret, in qua pristina quae de republica sensisset consilia divulgaret. Denique ut sileam, quod inde etiam

od Caesar deus appellatur atque in caelestium concilio locatur, fortasse colligendum est odam post annum 724 ıscriptam esse — eo enim tempore, iubente senatu de-tum est ut Caesar in hymnis tamquam deus immortalis eretur atque pro eo in publicis et privatis conviviis li-etur — illud potius moneatur Weberus, poetam primo e anni 723 ad bellum in Parthos inferendum (cfr. v. sq.) Octavianum impellere non potuisse, vivente enim tonio Caesaris munus non erat exercitum in Parthos l alias Orientis gentes ducere, cum regiones illae tran-arinae e provinciarum divisione a triumviris facta An-ıii potestati et tutelae commissae essent.

Sed ad Frankii argumentum pro anno 725 prolatum deamus.

Videntur viro docto et dissecta vox ultima in v. 19 ıbitur ripa Jove non probante u-xorius amnis) et hiatus 47 (Neve te nostris vitiis iniquum — ocior aura tollat) ıturae poesis Horatianae aetati respondere. Quod quidem ud magni aestimandum censuerim, quando quidem ex , quae semel iterumque a metricis legibus abhorrent, iquid certi, ad constituenda odarum tempora, mea sal-m sententia, effici nequeat. Neque in his quaestionibus nquam praeceptum ponere licet, Horatiana carmina, od ad metricam artem pertinet, quo perfectius composita leantur eo posterius conscripta. Ad hanc enim regulam normam quominus dirigamur exstant caesurae muliebres multis libri quarti carminibus adhibitae. Quid si viri cti animadverterunt, Horatium in iis Alcaicis versibus aborandis accuratiorem fuisse, qui posteriori tempore mpositi, in iis vero sapphicis versibus scribendis maio-m industriam locavisse, qui tempore priores sunt?

Postremo liceat mihi quaedam de temporis indicio ad-ıre, quod « patris » et « principis » cognominibus conti-ıri quidam affirmant. « Pater » Frankio auctore honoris ocabulum est, sed nullam honorificam appellationem a

senatu, Caesari decretam respicit ([1]), « princeps » vero unum idemque est ac αὐτοκράτωρ ([2]) apud Dionem Cassium, sive insignis « imperatoris » titulus anno 725, iubente senatu, Octaviano inditus, quo summum ei delatum imperium, non victoriae tam crebro ex hostibus partae indicarentur. Opponendum est Frankio, Horatium sine dubio tam ineptum futurum non fuisse, ut patris atque principis cognomina eo pacto tam arte coniungeret ut altero quidem honores a senatu decretos significaret, altero non item. Hoc si concedes, facilius etiam tibi comprobanda videbitur Massoni sententia, qui « patris » vocabulum ad divinos honores Kal. Jan. anni 725 Caesari decretos spectare censet. Caesarem, a poeta Mercurio parem factum, eodem atque ceteros deos dignitatis ornamento insigniri ait. Ac iuvat e compluribus quae ad rem confirmandam e poetis exhiberi possunt exemplis, quaedam proponere:

Ovid. De a. a. I. 203 sq.

Marsque Pater, Caesarque Pater, date numen eunti:
Nam deus e vobis alter es, alter eris.

Horat. Ep. II. 1: Romulus et Liber pater; Hor. Sat. II. 6. 20:

Matutine Pater, seu Jane libentius audis.

Caesar igitur Horatiano carmine tamquam deus celebratur, qui corpus mortale depositurus et in caelum rediturus sit.

(1) « Pater patriae » celebratus est Augustus anno 752 ab u. c., quo tempore Horatius iam vita decesserat.

(2) « λέγω δὲ οὐ τὴν ἐπὶ ταῖς νίκαις κατὰ τὸ ἀρχαῖον διδομένην τισὶν (ἐκείνην γὰρ πολλάκις μὲν καὶ πρότερον, πολλάκις δὲ καὶ ὕστερον ἀπ' αὐτῶν τῶν ἔργων ἔλαβεν, ὥστε καὶ ἓν εἴκοσιν ὄνομα αὐτοκράτορος σχεῖν), ἀλλὰ τὴν ἑτέραν τὴν τὸ κράτος διασημαίνουσαν, ὥσπερ τῷ πατρὶ αὐτοῦ τῷ Καίσαρι καὶ τοῖς παισὶ καὶ τοῖς ἐκγόνοις ἐψήφιστο. » Dio 52. 41. 3 sq.

Ac tamen, nescio quo pacto, cavendum est ne Frankio et Massono adnuentes probabilitatis quasi umbram persequamur. Fortasse enim dixerit quispiam: Num tam raro huiusmodi appellationes apud poetas inveniuntur ut ad illas a senatu decretas referre necesse sit? An tam religiose circumspectus est Horatius in adhibendis titulis a senatu Caesari inditis, ut regulam sibi propositam constantissime servet?

Minime hercle. Carmina enim libri III. et IV et epistula libri II, omnia post annum 727 composita, exhiberi possunt, quibus non splendidior ille Augusti titulus sed simplex Caesaris appellatio a poeta usurpatur (C. III. 14; IV. 14; Ep. II. 1). Affirmarim igitur poetam nullis a senatu in Caesarem congestis ornamentis inductum esse, ut haec epitheta ornantia usurparet, iisque usurpatis nihil aliud assequi voluisse, nisi ut Octavianum ad scelus expiandum aptissimum ostenderet. Tamquam « pater » enim celebratur, quippe qui novis legibus paterna dignitate ferendis et republica restituenda populum paternis beneficiis afficiet; « princeps » appellatur, quippe qui suscepto illo munere principem in civitate locum obtinebit et super ceteros excellebit.

Quam opinionem versus 25-29 c. 29 (L. III) confirmant, a Frankio apte comparati:

O quisquis volet impias
Caedes et rabiem tollere civicam
Si quaeret *Pater Urbium*
Subscribi statuis, indomitam audeat...

Quo loco eadem ratione pater significatur qui paterna industria publicas res in praeceps datas in tuto collocabit. Videntur igitur patris et principis vocabula nullum temporis indicium continere.

Sed ad propositum ut revertam, si ea exceperis, quibus, ut monui, Frankio accedere nequeo, reliquis viro docto libenter adstipulor atque carminis summam quam maxime an-

no 725 respondere iudico. Romanos mihi animo effingo tum temporis ardenti desiderio diem ex die Octaviani reditum, qui civibus ope indigentibus auxilium ferret, exspectantes; poetam vero ita animo affectum ut partium discidia, ex eo tempore nondum intermissa, quo Caesar potestate vitaque privatus fuerat, invitis oculis spectet, ut carmen condere sibi proponat, quo redituri Octaviani validum auxilium invocet.

Nunc quaestione de carminis I. 2. iam absoluta, liceat mihi profiteri valde me miratum esse quod Christius, acri et perspicaci ingenio praeditus vir, Frankii disputationis exiguam rationem habuit vel prorsus eam neglexit, ut obsoletas, prope iam obliteratas Massoni et Kirchneri sententias amplecteretur, qui Horatii eclogas omnino posteriori aetati assignare conati sunt.

Vir autem doctus Ritterus in recensendo Frankii libello (1) (« Fasti horatiani » inscripto) quae Frankius de hac oda aperuit, impugnare ausus non est, atque Passovius, ipse (2) qui in censura eiusdem libelli facta nonnullis locis Frankium erroris convincere studuit, de hac oda verbo tantum locutus est, ita tamen ut disserendi subtilitatem hic a Frankio proditam diserte laudaret et iudiciorum summam probandam esse fateretur. (3)

(1) Recensuit in diario *Wiener Jahbücher* N. 99.

(2) In ephemeride *Jahrbücher für wissensch. Kritik* 1840.

(3) Haec omnia si recte a me disputata sunt, confido etiam Kiesslingium nom amplius carmen anno 727 vindicaturum esse. Kiesslingius in recentissima odarum editione (*Q. Horatius Flaccus erkl. von Adolf Kiessling* 2.ᵉ Auflage Berlin 1894) elegantissima doctrina et ceteris explicandis operam dedit et in definiendis temporibus copiosius quam priores interpretes — si a Schuetzio discesseris — versatus est. (cfr. pag. 31).

De tempore carminis II. 9.

Veterum interpretum sententiam secuti carmen ad annum 734 referendum esse nostris diebus affirmaverunt Novvotnyus, Krawutschkius, Nestlerus et Christius (1). Christius autem et Krawutschkius perpaucis usi verbis certissimum et persuasissimum sibi esse significant, odam 9:am l. II anno 734 exaratam esse atque auctoritate nixi docti viri A. Dumesnilii (qui in recensendis Horatianis carminibus a Schuetzio editis, de huius poematii tempore et ipse pauca verba fecit (2) nihil esse censent, cur ambagibus lectores morentur atque diu in singulis haereant quae argumentorum subtilitate non indigeant. Mea quidem sententia versibus 18-25

et potius nova
Cantemus Augusti tropaea
Caesaris et rigidum Niphaten
Medumque flumen, gentibus additum
Victis, minores volvere vortices;
Intraque praescriptum Gelonos
Exiguis equitare campis.

procul dubio indicia continentur, quae ad res tum temporis gestas, cum carmen a poeta conscriptnm sit, spectare videantur, sed tam incerta, tam leviter expressa ut obscuritate quasi involuta lateant ac difficillimum sit carminis aetatem propius definire. Quocirca Christius et alii quos supra laudavi, si diligentius quod poeta illis versibus signi-

(1) Nowotny l. l. *(Gymnasial programm,* Iglau 1877-78) p. 12; Krawutschke — ***Qnibus** temporibus Horatium tres priores carm. lib. edidisse*... p. 9; **Nestler,** *Quo tempore Horatii tres priores*,.. p. 7 sg.; Christ: ***Fastor horat** epicr.* p. 16.

(2) In **Annalibus philol.** a Fleckeisenio editis CXI, a. 1875 p. 554.

ficaverit, perpendissent, inanem scilicet operam non insumpsissent, neque tam facile atque ad arbitrium carmen in eorum numerum retulissent, quae ex eorum quidem iudicio post annum 730 vel 731 composita sunt. Id vero recte me statuisse concedes si reputaveris nostrorum dierum doctos viros Frankium, Weberum, Dillenburgerum, Obbarium, Estreum et Schuetzium (1) nullo modo largiri potuisse, illos versus ad expeditionem anno 734 a Romanis in Armeniam factam, ad Tigranem in regnum Armeniae per Tiberium Neronem restitutum, ad signa a Parthis recepta referenda esse. Sed antequam varias de re sententias perscruter, pauca de illis versibus, e quibus temporis argumenta eruuntur, dicam, quos si recte interpretari velis, non exiguam difficultatem afferunt.

Plurimum prae ceteris valet ad carminis tempus constituendum, si bene distinguas utrum verba « Cantemus Augusti tropaea Caesaris et rigidum Niphaten » ea ratione copulata sint, quam grammatici ἓν διὰ δυοῖν nuncupant (« nuove vittorie riportate presso il Nifate » « neue am Niphates erkäufte Siege ») an potius verba « et rigidum Niphaten » ita accipienda sint, ut cum proximis « Medumque flumen gentibus additum victis » ea coniungere necesse sit. Particulis autem « et-que » pro « et-et » « tam-quam » adhibitis non offendendum esse ut agnoscas, quamvis unum tantum huiusmodi exemplum e Cicerone afferre liceat, (Cicero De Finibus 5, 22), nonnulli tamen Horatiani loci exhiberi possunt, eadem ratione comparati (C, II, 15, 5; Sat. I, 3, 139; I, 8, 39) (2). Tum non minus ad tempus definien-

(1) Frankius l. l. p. 179 sqq.; Weberus l. l. p. 266 sqq.; Dillenburgerus in Horatii editione p. 129 (in edit. VI, Bonnae 1875); Obbarius in Horatiana editione (Jena 1848) p. 135; Estrèus in Prosopographia Horatiana p. 349; Schuetzius l. l. p. 109.

(2) De vocibus « et-que » pro « tam-quam » cfr. Drackenborg ad Liv. XXXX, 12, 5; Zumpt, Lat. Grammatik § 338; cfr. Liv. II, 4, 5 (et IV, 2, 3: « id et singulis universisque semper honori fuisse » nisi

dum conducere videtur, si recte interpreteris, utrum « novis » poeta « tropaeis » recentes victorias an signa ab hostibus nuper recepta indicaverit. Tropaea, si verbi vim intueamur, potius ad victorias ex hostibus partas quam ad restituta signa pertinere videntur. Quare perperam Massonus his verbis usus est: « Hic (v. 15) non modo Caesar cognominatus Augustus sed et clare indicantur signa novissime recepta... » (1)

Solis enim linguis quae « neolatinae » appellantur, voci « tropaeum » ea est notio subiecta, ut idem valeat ac « spolia hostibus erepta ». At naturalis et principalis verbi significatio, quae a veteribus Latinitatis auctoribus usurpatur, eiusmodi est, ut potissimum τρόπαιον (= « trofeo » « Siegesdenkmal »), tum etiam immutationis illius causa, quae μετωνυμία dicitur, « victoriam » designet, sicuti dilucide apparet e Cornelii Nepotis loco (Them. 5, 3): « Victoria, quae cum Marathonio possit comparari tropaeo » (2). Plane denique perspicuum non est quid poeta « rigido Niphate » significare voluerit. Veteres Horatii interpretes, qui verba « Augusti tropaea Caesaris et rigidum Niphaten » per ἓν διὰ δυοῖν connexa esse statuerunt, Acronis verbis « (Niphaten) Scythiae fluvium, plerique Armeniae montem habuere » fortasse adducti sunt, ut crederent, Niphaten Armeniae flumen fuisse, quamvis nusquam apud rerum auctores et regionum descriptores indicia inveniantur, e quibus argui possit huius nominis fluvium olim exstitisse.

Horum igitur iterpretum ex indicio Horatius carmen anno 734 composuit, decantatique illi versus ad signa a Parthis recepta, ad Tigranem in Armeniam deductum, ad Gelonos sive Dacos tum temporis devictos necessario spectant.

Weissenborni correctionem probes, qui edidit « et id singulis universisque ...)

(1) L. l. p. 306.

(2) Cfr. etiam Cic. Tusc. I. 110: Ante enim Salamina ipsam Neptunus obruet quam Salaminii tropaei memoriam...

At e multis quae Weberus accurate et subtiliter de Dacis disputavit ([1]), facile effici potest, inde ab eo tempore, quo Marcus Crassus, Graeciae et Macedoniae procurator, contra Dacos exercitum duxerat, usque ad dies, quibus Lentulus quidam, procuratoris auctoritate et ipse, ut probabile fit, insignitus, Romano militi praefuit atque adversus Danubii Nomades in aciem processit, nunquam a Dacis cum Romanis proelio decertatum atque Dacos anno demum 742, ingenti clade a Lentulo illo accepta, prostratos fuisse. Si nulla igitur ratione impellimur, ut receptorum signorum mentionem factam esse credamus, atque rursus pro certo statuimus, poetam anno 734 handquaquam victorias a Lentulo e Dacis vel Gelonis reportatas respicere potuisse, evidenter elucet, quam incertum et perversum sit, carmen nonum anno 734 adscribere, etiamsi largiaris, quod parum verisimile est, poetam «rigido Niphate» ipsam Armeniam significare voluisse.

« Solus Wanderbourgius », ut ait Frankius ([2]), veterum interpretum argumenta admodum incerta esse probe intelligens, « sustinuit assensionem et odam anno 730 ortam esse coniecit. » Neque Frankius aliter sensit, qui carmen circa annum 729 et 730 ab Horatio exaratum esse arguit.

Illo enim auctore « nova tropaea » nihil aliud quam victoriae ab Augusto anno 729 in Hispania relatae appellantur, quae tum demum a poeta commemorari potuerint, cum Jani templum secundum clausum fuerit. Proximis autem versibus Horatium, sicuti omnino Augusti aetate poetae consueverint, veritatis fidem non servavisse credit, atque res a Romanis adversus Orientis gentes gestas amplis verbis in maius eo consilio extulisse « ut Augusti honori velificaretur. »

Frankio libenter assentior. Poeta igitur universi gaudii interpres, quod Romani, nuntio perdomitae Cantabrorum

(1) L. l. p. 241 sqq.
(2) L. l. p. 179.

rebellionis adlato, animo ceperunt, hoc carmine Augustum eximiis laudibus ornavit, atque, cum Caesar hoc ipso anno 629 post Teridatis fugam in Hispaniam in Parthorum lites et controversias summus arbiter constitutus esset, Orientem quoque Romano imperio subiectum canere potuit, praesertim cum Vergilii vestigia evidenter secutus sit, qui iam anno 724 et ipse res actas in falsum augens, Armenios et Parthos armis subactos esse dixerat (Georg. III 30 sqq.):

addam urbes Asiae domitas pulsumque Niphaten
fidentemque fuga Parthum versisque sagittis
et duo rapta manu diverso ex hoste tropaea

Unum tamen excipiam quo Frankii sententiae accedere te nolim. Vir doctus Niphaten flumen intellegit, montem fuissse negat. Atqui fluminis eo nomine appellati nulla, ut monui, exstant testimonia, cum montem Niphaten fuisse auctores sint Strabo atque Sthephanus Byzantinus (1), qui εὐσκόπελον eum appellat. Niphates autem mons non in ipsa Armenia sed sub fines Armeniae positus et Mediae Atropatenis quae pars fuit Mediae maioris ad occasum sita. Quibus omnibus perpensis nonne licet colligere, poetam non Armeniam simul et Parthiam, sed Parthiam tantum respicere voluisse, quam Medo sive Enphrate flumine propius designaverit? Quamquam, Strabonem si audiamus, Medus amniculus fuit, in Araxen influens. Sed mihi quidem « Medus » a poeta ita usurpari videtur ut aeque ac in verbis « Scythicus amnis » pro adiectivo dicatur, neque flumen « Medus » nomine sed « Medorum flumen κατ' ἐξοχήν », sive Euphrates intelligendus sit, qui Romanum et Parthicum imperium definiebat. Ceterum etiamsi contendas poetam « Medum » non pro adiectivo usurpavisse atque flumen quod proprie « Medus » appellaretur indigitare voluisse, de Euphrate illam vocem, non de amniculo « Medo » in

(1) Strabo XI. 521, 523, 527, 529, Steph. Byz. 594.

Araxen influenti usurpatam esse probabilius statues. Plutarchus enim in libro « de fluviis » inscripto, Euphratem et Medum olim dictum esse monet: ἐκαλεῖτο πρότερον Μῆδος; (1) Massonus autem Taciti et Velleii confisus auctoritate Euphratem a Romanis et Parthis utriusque imperii terminum habitum esse ostendit. (2)

Quae cum ita sint, minime haesitans affirmaverim non commenticiam esse et coniectura tantum innixam sententiam nostram, qua poetam non de Armenia simul et Parthia, sed de sola Parthia cogitavisse statuimus, de Parthia, quam Euphrate et Niphate monte sive terminis ad septentrionem et occasum sitis designaverit, de Parthia, quam in provinciarum, quae Romano imperio adiectae erant, numerum propterea referre potuerit, quod Teridates, teste Iustino (42, 5), se ipsum et Parthorum regnum sub Augusti potestatem permisisset. Sed quamvis de iis quae ad Niphaten spectant, a Frankio discedere me fatear, nihil tamen obstare videtur, quominus ceteris viro docto accedens et ipse carmen anno 729 vindicem.

Vir autem doctus A. Du Mesnilius, cuius sententiae Christius et Krawutschkius album, ut ita dicam, calculum adiecerunt, admodum exilibus — meo quidem iudicio — ad opinionem suam confirmandam argumentis usus est falsisque veterum interpretum institit vestigiis. Cur enim tandem carmen anno 734 procul dubio assignandum esse statuit? Ipsius verba referam: « denn vorher » inquit, « hatten die Römer dort schlechterdings nichts vollführt, dessen sie sich hätten rühmen können, die Flucht aber des in Folge seines Thronstreites mit Phraates aus dem Partherreiche ausgelassenen Teridates zu den Römern kann doch schwerlich als eine Trophäe des Augustus, noch we-

(1) Cfr. Massonum l. l. p. 309.

(2) Videtur Frankius in eo offendisse quod epitheton « rigidus » de monte a poeta usurpetur; sed omnem evellit scrupulum locus Ovidii (Met. VIII. 799) ubi legitur « rigidique cacumina montis. »

niger als eine Unterwerfung des Euphratesgebietes gepriesen werden » (1) Verum, ut praeteram fugam in Hispaniam barbari principis et se et Parthorum regnum arbitrio Augusti et populi romani committentis tam necopinatam fuisse ut Horatius, poetarum more rem augens, optimo iure inter nova tropaea Augusti eam numerare Parthiamque victis gentibus additam dicere potuerit, celebrata illa tropaea non ad Teridatis fugam sed ad res ab Augusto in Hispania anno 729 egregie gestas referenda sunt, quae, respectis victoriis praecedentibus annis victis, recte a poeta nova tropaea nuncupari poterant.

Omnibus ergo quae viri docti de huius odae tempore existimaverunt examinatis et perpensis, liceat mihi iure colligere rem eos admodum infeliciter pertractavisse, qui recte cernendi iudicandique munus neglegentes atque divinationis lusui indulgentes, quae carmine continentur indicia ad annum tantum 734 spectare fidenter statuerunt. Quodsi quis subdubitet, utrum annus 734 an potius 729 eligendus sit, omnem eum ex animo scrupulum exempturum esse confido, si versus 18-25 (C. 9) cum iis quae C. 12, L. I (V. 53-50) et iis quae C. 15 L. IV (V. 6-10) leguntur contulerit. Num enim fieri potest ut altero loco poeta res Parthicas tam tecte et obscure attigerit, alteris autem duobus aperte et diserte significaverit?

De tempore carminis III. 5.

Videtur mihi Christius in huius odae tempore constituendo eiusmodi rationes quae sine negotio refutari possint attulisse, probabiliora vero argumenta e carminis indole

(1) In Fleckeisenii *Annalibus philol* CXI, a. 1875 p. 554.

summoque consilio ducta vel ignoravisse vel prorsus neglexisse. Quam ad solvendam quaestionem maximi est momenti intelligere quomodo accipienda sint verba « adiectis Britannis gravibusque Persis divus habebitur Augustus ». Contenditur enim utrum idem valeant ac « Augustus divus habebitur quod Britannos gravesque Persas imperio adiecit », an potius eam vim habeant ut significent « divus habebitur Augustus si eas gentes imperio subiecerit ». Equidem pro certo affirmaverim, non rem iam absolutam consummatamque sed futuro tempore expediendam perficiendamque respectam esse. Id facile agnosces primo loco e forma temporis futuri « habebitur », tum ex eo etiam quod probabilius fit et poematii gravitati magis consentaneum est, Horatium non quo tempore susceptum bellum iam compositum fuisset, sed proximis ante militarem expeditionem diebus civium animos ad sublimium rerum spem carmine erigere voluisse, cuius summa in eo posita est, ut extra patriam nullam reperiri salutem ostendatur. Itaque veteres quoque interpretes verba intellexerunt, si a Massono Diacierio Rodellioque discesseris. Quorum Massonus suum commentum ita defendere studuit ut verba « Milesne Crassi coniuge barbara turpis maritus vixit? » aperte significare contenderet de captivis tantum iam in libertatem restitutis hic agi. At si poeta non liberiori illa dicendi ratione a poetica licentia sumpta, sed veluti prosae orationis natura secum fert, ampliori verborum circuitu usus esset accuratiusque quod sensit expressisset, ita ferme loquendum ei erat. « Milesne Crassi adhuc vivere potuit Romanae virtutis oblitus atque vitae infamis cursum hoc pacto conficere poterit? » Huius breviloquentiae poetis et oratoribus tantum concessae, exemplum ut afferam, eiusdem eclogae versum primum commemorabo, ubi « Jovem Caelo regnare credidimus » ita scilicet scripsit ut « credidimus et credemus » supplendum sit.

Sed ad propositum revertor. Veteres si audias interpretes, quorum vestigia Christius non omnino quidem at

satis tamen superque sequitur, odae natalis fuit annus 734, quo Augustus signa et captivos a Crasso amissos a Phraate Parthorum rege recepit. Verum poeta, si hoc carmen anno 734 composuisset, vel quominus captivi restituerentnr obstitisset, vel iam redditis maximam omnium e felici rei eventu captam laetitiam inepte turbavisset, et in patriam terram remigrantibus turpissimam ignaviam odiose obiecisset. Quod argumentum a Frankio sagacissime inventum, ne poemation anno 734 adiudicetur, vehementer dehortatur. Ac tamen Christius quamvis haec anno 734 scripta esse diserte et plane asseverare ausus non sit, proximo tamen temporis spatio assignare conatur. Quam ad firmandam coniecturam ostendit Horatium non temere et fortuito sed certa quadam de causa « Jovem tonantem » non « Statorem, » vel « ultorem, » aut « Deum Optimum Maximum » dixisse. Notat enim poetam, aulicorum consiliorum interpretem, Jovis tonantis aedis, Kalendis Septembribus anni 732 ab Augusto in Capitolio consecratae attque ab hominibus admodum frequentatae mentionem evidenter ea mente iniecisse, ut Augusti populique favorem sibi conciliaret. Quocirca « mordacitus » se « tenere » fatetur carmen post kal. Sept. anni 733 scriptum esse. (1) Hac de re quid sentiam si scisciteris, etsi libenter lagior, Horatium, si post kal. sept. anni 732 ista lusisset, simplici « Jovis tonantis » commemoratione aedis consecrationem apte respicere potuisse, praefracte tamen negaverim ea verba ad illam religionis caerimoniam necessario referenda esse, praesertim cum aliquid gravioris scilicet momenti, quod paulo inferius excutiam, huic temporis intervallo, intra annum 732 extremum et 734 medium incluso, admodum repugnet. Quid si simpliciorem quidem et securiorem interpretandi viam ingressi, vocem « tonantem » nulla singulari ratione sed eo pacto selectam explicabimus, ut potentis numinis maiestas

(1) L. l. p. 15 sq.

splendidiori luce fulgeret? — Caelo, inquit, regnantem credidimus Jovem τερπικέραυνον, ὑψιβρεμέτην, cuius numen e fulminis ictu potissimum agnoscitur: praesens divus potensque in terra habebitur Augustus, si remotissimos et infestissimos hostes, Britannos et Persas, subegerit. — Quodsi poetarum loquendi ratio eiusmodi est, ut (si temporum indicia recte aestimare velis) admodum circumspecte eam considerare expediat, facile etiam concedes, cum Noster consuetis superlationibus usus de populis Romano imperio subiectis etiam atque etiam glorietur, verborum pondus accurate nobis examinandum falsaque e veris recte sceveranda esse, itaque etiam simplici epitheto ornanti tantum non esse tribuendum ut tanquam norma ad quam in eligendo tempore dirigamur teneatur, praesertim si ad illud attendas, quanta epitheton ornantium varietate ubertateque usi, Graeci non minus quam Latini poetae, magnam deorum catervam celebraverint.

Neque Christium sane praeteriit, argumentum quod attulit haud multi aestimandum esse. Quare etiam reliqua quae carmine continentur indicia, temporis intervallo a se proposito respondere demonstrare studuit. Censet enim praeterea, Horatium verba « adiectis Britannis gravibusque Persis » cum de bello in utrumque hostem eodem tempore illato cogitandum non sit, eo consilio scripsisse, ut Augustum omnes gentes, « ab ultima Occidentis plaga usque ad Orientem » subiecturum se esse significaret. Itaque quaerendum esse affirmat « utri genti tum maxime bellum paratum sit », Reguli vero oratione, Crassi militibus ignaviam exprobrantis, expeditionem militarem quam Augustus anno 732 e Sicilia in Asiam profectus, contra Parthos suscepit, aperte indicari. At si diligenter quae inter Romanos et Parthos inde ab anno 731 usque ad annum 734 medium intercesserint, exposuero, nullo te negotio tibi esse persuasurum confido, quam parum verisimile sit poetam carmen tempore annum 731 subsecuto composuisse.

Propter signa igitur captivosque a Crasso primum anno

700 amissos, deinde ab ipso Antonio, qui turpitudinem priori duci militique inflictam abstergere conatus erat, Romani nominis gloriam maculis quasi aspersam esse satis constat, quam omnes ad unum Romani, imprimis Augustus, ad pristinum splendorem revocare diu vehementerque cupiebant. Atque anno 731, cum Romae adesset Teridates, qui ex Asia in Hispaniam ad Augustum confugerat, indeque principem urbem repetentem comitatus erat; cum a Phraate legati ex Asia missi essent, qui Teridatem Phraatisque filium (ab adversariae partis fautoribus abreptum) exposcerent, Parthorum discidiis Augustus compositis, Teridatem retinuit, Pharaati vero eo pacto filium restituit, ut Romana signa, atque ut ex ipsa rei natura sequitur, captivi milites, qui vulgo scilicet non minus quam signa desiderabantur, redderentur (1). Iam vero, postquam apud senatum, ut Iustinus testatur (2), de pacis conditionibus actum erat, omnes Romae de recipiendis signis civibusque edocti in eo crebro, ut fieri solet, gloriabantur et inter se comunicabant, tempus iam adesse quo invisus Parthus victoriis e Romanis relatis superbus esse desineret neque amplius erepta spolia iactaret. Verum Phraates quibus se adstrinxerat conditionibus non stetit. Qua de causa Augustus — Romano imperio tum maxime placidissima pace domi fruente — fortasse ut Orientis populis potentiam maiestatemque ostentaret, sed praecipue desiderio recipiendorum captivorum compulsus, quos propter ea, quae in senatu agitaverat promiseratque, etiam vi adhibita una cum signis recuperare necesse erat, auctumno anni 732 urbem reliquit, atque iter in Asiam ingressus ibi usque ad auctumnum anni 735 cum exercitu commoratus est. (3)

Quis igitur, si ista recte perpenderit, Horatium carmen

(1) Cfr. Dionis Cassii LIII, 33, Verg. Aen. VII. 607.
(2) Cfr. Weberum l. l. p. 248 sqq.
(3) Cfr. Dillenburgeri *tabulam chronologicam* l. l. p. 24.

post annum 731 scribere potuisse censebit? Quid enim Reguli oratio carmini inserta, si post annum 731 composita esset, significaret? Nonne Horatius, ex ipsius Christii sententia tam fidus Augusti voluntatis interpres, admodum inepte et imprudenter egisset, si tam odiose et contemptim de captivis eo ipso tempore locutus esset, quo Augustus et senatus Romanis opibus confisi salutem iis offerre atque in pristinum statum restituere studebant? Itaque si recte quam proposui rationi parueris neque de anno 732 neque 733 cogitabis: minime vero de anno 734. A quo eligendo Christius quidem non abhorret, illud parum animadvertens, poetam si iam iam peragendae vel perfectae restitutioni obsistere laboravisset, omnibus fere risum, (ne aliud dicam) facile concitaturum fuisse.

Proinde perperam Christius his verbis usus est: « Neque equidem refragabor, si quis, quo tempore Horatius hoc carmen scripserit, non solum Romanos bellum contra Parthos parasse, sed milites Crasssi a Phraate, Parthorum rege, iam redditos esse dixerit, id quod anno 734 factum esse Cassius Dio (54.8) narrat ». (1) Frankius contra multo rectius Horatium statuit « tum tantum hoc carmen potuisse exarare, cum vel exigua spes esset, fore ut Cassianae cladis ignominia abstergeretur vel pactiones hac de re cum Parthis initae non habuissent prosperum successum». (2) Dum enim de consiliis in posterum de illa re capiendis nondum quidquam constitutum erat, et Horatius et reliqui poetae in captorum militum ignaviam suum stomachum erumpere poterant: si vero postquam senatus exposcendos milites decreverat, nihilominus in eos aspere increpuissent neque irae suae indulsissent, inhumanos sese praebuissent, atque omnium, praecipue eorum, qui cum captivis consanguinitatis vinculis coniuncti erant, odia in se convertissent.

(1) L. l. p. 16.
(2) L. l. p. 190.

Ex iis quae huc usque disserui, evidenter, opinor, apparet, Frankio adstipulandum esse qui odam ante annum 731 ortam censuit. Annis autem 727 vel 728 ut adscriberet inde adductus est quod aliter ac Christius « historica » quae verbis « adiectis Britannis gravibusqne Persis » insunt « indicia » interpretatus, bellum in Britannos illatum respici vult. Ac re vera non temere ac fortuito de Britannis locutum esse poetam concedes, si Augustum crebro, ut eos perdomitos haberet, militares expeditiones in insulam suscepisse animadvertes, quae propter repentinas seditiones apud alias gentes commotas vel ad posterum dilatae erant vel ad irritum ceciderant. Ex Frankii autem sententia celebratis illis strophae primae versibus nullo pacto expeditio quam Octavianus anno 719 paravit significatur (tum enim motibus in Pannonia ortis bellum prorogatum est); sed potius respiciuntur quae anno 727 et 728 susceptae sunt; quo tempore « cum Britanni visi essent mittere qui paciscerentur, habuit scilicet poeta cur de futura Britannorum expeditione bonam spem animo conciperet ». (1) Frankio prorsus accedo. Unum tamen meo iure affirmare ausim, poetam haec anno 727 lussisse atque verbis « adiectis Britannis gravibusque Persis » non per ὑπερβολὴν universum orbem ab Augusto subiciendum sed diserte duas expeditiones militares uno eodemque anno 727 in Britanniam et Orientem susceptas respicere voluisse, ita ut poemation recte προπεμπτικόν nuncupari possit.

Huic opinioni fides additur e comparatione Carm. 35 et 29. l. I.[i], quae vulgo anno 727 assignantur. Legitur enim C. 35. l. I. v. 29 sqq:

Serves iturum Caesarem in ultimos
Orbis Britannos, et iuvenum recens
Examen eois timendum
Partibus Oceanoque rubro

(1) Frankii verba transcripsi, qui Dionem auctorem secutus est.

et v. 38

. . . . O utinam nova
Incude diffingas retusum in
Massagetas Arabasque ferrum!

carminis vero 29, v. 1-6:

Icci beatis nunc Arabum invides
Gazis et acrem militiam paras
Non ante devictis Sabeae
Regibus horribilique Medo
Nectis catenas.

Horatius ergo carmine 5.° libri III. bellum in utrumque hostem anno 727 susceptum ne male succederet omnibus votis prosecutus est atque miram inter ignavos Crassi milites et strenuum Regulum diversitatem praedicans, Romano militi bellandi virtutem patriaeque amorem instillavit. Qua in re eadem quae Pindarus artis praecepta spectavit. Antiquiores enim lyrici poetae singularibus e fabulis et rerum historia depromptis exemplis usi sunt, ut sententias ad universos homines pertinentes exprimerent.

Huc usque de oda III, 5 ita disserui ut ne paululum quidem temporis cognationem respicerem quam plurimi inter sex priora libri III.i carmina intercedere statuunt.

Nunc vero est mihi propositum, quaedam de ista carminum necessitudine addere unde fortasse superiori argumentationi fides et auctoritas accedet.

Opinatur Frankius Horatium, Maecenatis vel ipsius Augusti exhortationibus permotum ad scribenda sex priora libri tertii carmina sese accinxisse, « ut virtutis commendatione labenti Romanorum disciplinae succurreret et aequalium pectora bonis probisque praeceptis imbueret. » (1)

(1) L. l. p. 186 sq.

Frankio autem adstipulatur Weberus (1) qui e carminum argumentis aetatem quoque eorum argui posse existimat, cuius primordia anno 726 requirenda sint, quo tempore patres, senatorii ordinis dignitate auctoritateque ab Agrippa censore restituta, de coercenda morum licentia aliisque rebus novandis consilia comunicare instituerint.

Equidem viris doctis libenter adsentior. Attamen provide cavendum opinor ne singularem istam argumentorum quasi affinitatem, qua carmina inter se continentur, agnoscentes, de temporis eorum cognatione temere statuamus neve perperam uni eidemque anno assignemus. Admodum enim verisimile est permulta quae ab Augusto et senatu immutata sunt, vix angustioribus unius anni cancellis perfici potuisse, Horatium vero carminibus suis, satis longo temporis intervallo inter se disiunctis, partim leges ab Augusto iam latas commendare, partim civium animos ad reliqua probanda quae princeps innovaturus esset ita praeparare voluisse, ut eius consilio pro viribus suffragarentur. Quocirca videntur mihi false iudicavisse, qui in unius anni intervallum sex carmina incidere crediderunt. Quod in primis defendit Dillenburgerus, qui omnia carmina anno 728 vindicavit. (2) Duentzerus vero omnia fere anno 731, quo tribunicia potestas in perpetuum Augusto tributa, orta esse contendit. (3) Quin etiam Dillenburgerus sex carmina individuum integrumque corpus, proemio epilogoque instructum, efficere vult. At recte praeter alia ei obiciendum esse puto, primam carminis III. 1. stropham praecipuam eiusdem odae partem, non omnium sex carminum prooemium esse, extremos vero carminis III. 6 versiculos non sex odarum epilogum sed necessariam eiusdem tantum poematii clausulam habendam esse. Omnium autem audacissime, uti saepius, Peerlkampius, carmine III. 16.°:

(1) L. l. p. 269 sq.

(2) In Horatii edit. p. 161 et in *Horatianis quaestionibus* p. 81 sqq.

(3) Duentzer. *Kritik und Erklärung der horazischen Gedichte* III, 55 III. B. Braunschweig 1843 p. 55.

sex laudatis eclogis ad arbitrium adiecto, gnomicum Horatium finxisse poemation affirmavit. Quo suo iudicio quam procul erraverit vir doctus, inde potissimum cernitur, quod non exiguum, ut rationi suae faveret, stropharum vel versuum numerum omittendum iussit. (I. 33-40; II 17-72; VI 9-16; 25-32; XVI 11-15, 38-42). Accedit quod pleraque gnomici istius poematis membra ab illo distincta neutiquam indolem coloremve gnomicae poesis peculiarem referunt. (1)

Carmina igitur cum nullo pacto ita copulanda sint, ut unum poemation efficiatur, sed tam miram scilicet et consilii et versuum similitudinem prae se ferant (uno enim eodemque metro sunt composita) ut, temporis ratione habita libri tertii in fronte coniunctim digesta videantur, omnium verisimillimum iudico non magnum inter ea conscripta intervallum interiectum fuisse. Cancelli autem intra quos omnia sex confecta sint quo propius definiantur, recte haec statuisse mihi videor.

I) Eo tempore carmina litteris consignata sunt, quo morum perversitas magis magisque in civitate increbruerat, ideoque principes rempublicam gerentes melioribus et institutis et legibus, ut publica utilitas postulabat, longe lateque diffusa vitia emendare, publicae ac privatae vitae rationem commutare studebant. Quod si perpenderis, facile etiam tibi explicare poteris, cur tandem poeta in extremo carmine sexto cecinerit: Aetas parentum, peior avis, tulit — nos nequiores, mox daturos — progeniem vitiosiorem.

II) Intervallo quo conscripta sunt Augustus ex urbe diu absens non fuit, cum admodum probabile sit, quamvis Maecenatis et Agrippae opera uteretur, qui regendae civitatis satis periti erant, ipsum tamen senatui de illis rebus deliberanti saepius adstitisse capiendique consilii moderatorem fuisse.

(1) Contra Peerlkampium disseruit Luebkerus, *Commentar zu Horaz's Oden*, I-III, Schleswig 1841 p. 401-405 et Schuetzius l. l. p. 353.

III) Tum temporis orta sunt quo Horatius iam animum induxerat fore ut Augustus communi prosperitati consuleret itaque sibi facultatem dari in eius partem fidenter transgrediendi. Quocirca etiam eclogis III, 1-6, quibus priscam Romanorum virtutem et temperantiam praedicavit, non per assentationem sed integro iudicii animo Augusti tamquam praesentis numinis laudes inserere potuit.

IV) Satis probaliter arguere licet hoc temporis spatium quo omnia sex carmina confecta sint non plus duobus vel tribus maxime annis complecti.

Ad quae omnia si attenderis ac tecum praeterea consideraveris complures viros doctos, in primis Weberum (1) carmine III. 3 legendo, quo Augusti cognomen occurrit, ita animo affectos esse, ut odam anno 727 compositam putarent ad insignem illius appellationis honorem celebrandum, multo etiam verisimilius esse statues sex priora libri III.i: carmina non temporis spatio, quo Augustus ex Italia absens in Oriente versabatur (inde ab anno 732-735) sed priori intervallo inter annum 726 et 728 intercluso concinnata esse.

Postremo liceat mihi alia quaedam adicere, quibus opinionem quam defendo eo magis confirmem.

Aestate enim anni 725, sopito aliquando civilium armorum furore ac bellis contra Parthos aliasque exteras gentes ac nationes confectis, in urbem ingressus Augustus, labefactatam rempublicam et pristinis sceleribus quasi dilaceratam, civium autem mores maxime corruptos depravatosque sensit. Iam inde a tempore quo Marius et Sulla inter se contenderant, rerum perturbatio ac vitiorum turpitudo in civitate ingravescere coeperant: non amplius dii religione et sanctitate colebantur eorumque templa vel

(1) Cfr. etiam quae hac de re Bambergerus disseruit in Philol. II, p. 691 sqq.

vetustate collapsa erant, vel flammis conflagraverant. Quare Augustus anno 726 censor factus (1), cum iam priori anno de claudendo Iano decretum esset, ut restitutam pacem tutaretur et publicam privatamque disciplinam proficuis legibus corrigeret emendaretque, templum et bibliothecam (C. I. 31) in monte Palatino Apollini, qui Actiaca pugna eum defenderat, dedicavit ceterasque sacras aedes refici iussit, privatorum sumptibus privatas, publicas publico impendio. (2) Litteras quoque ceterasque ingenuas artes, studia omnino liberalia sustinuit ac fovit. Qua enim rerum civilium fuit prudentia, sagacissime etiam perspexit, quantopere ad sanandam civitatem et ipsius potentiam ad firmandam a poetis adiuvari posset. Quocirca non temere statuisse videbimur, tum temporis Horatium ab ipso Maecenate impulsum esse ut componendis gravibus illis poematiis Augusti consiliis pro sua parte faveret. Maecenate enim auctore sensim et paulatim conciliaverat sibi Augustus Horatii animum; post reportatam vero Actiacam victoriam, prorsus eum in suas partes traxisse verisimile fit. Quamquam nefarium scelus, quod Cassii Parmensis nece Augusti fautores contraxerant, tantopere Horatium offendere poterat, ut novis amicitiis indulgere cunctaretur. Nihilominus admodum est verisimile, omem eum hac de re scrupulum et dubitationem praecidisse, cum Augusti proposita maximo fore civitati adiumento introspexisset.

His igitur omnibus respectis, sex priora libri III.i: carmina, quod ad argumentum ipsorum atque indolem attinet, optime mihi in tempora, quae bella civilia sunt subsecuta, quadrare videntur. (3)

(1) Sueton. Octav. 30.

(2) Hor. Carm. II. 15; Dio Cass. 5. 3. 2, Vell. II, 89: Sueton. Octav. 29-30.

(3) Complures nostris diebus in sex prioribus carminibus libri tertii illustrandis diligentem operam collocaverunt, sed mirum quantum de summo odarum consilio inter se dissenserunt. Quod vero ad quin-

De temporibus Carm. I. 20; III. 8; II. 13 et II. 17.

Carm. III. 8 anno 734 compositum esse crediderunt Nowotnyus et Krawutschkius : odam autem vigesimam lib. I.[1]: anno 734 vel 733 adiudicandam esse affirmavit Christius.

tum carmen spectat, Teuberus atque Mommsenius perperam opinati sunt (A. Teuber in *Annal. Philol.* a Fleckeisenio editis, 1889 p. 417 sqq. Th. Mommsen in *Act. Accadem. Berol.* 1889, IV, 31) Horatium patrocinium suscipere voluisse civilis illius sapientiae, qua Augustas bella in exteras gentes in aliud tempus differens, pacem agere civitatisque mores corrigere malebat. « Augustus » inquit praeclarissimus vir (Mommsenius) « hat zwar mit der Erbschaft der monarchie die verpflichtung die Britten und Parther zu unterwerfen übernommen und anfangs das Caesarische Kriegsprogramm unverändert festgehalten; nirgends ist dies schärfer ausgesprochen als im eingang unseres gedichtes, wo Hor. die besiegung der Britannen und Perser als die bedingung aufstellt, unter der Augustus für einem Gott auf erden gelten wird, wie auch im dritten gedicht der legionar geschildert wird, wie er den Parther niederwirft; allein dieses programm sollte die absichten seines urhebers nicht offenbaren, sondern verdecken. Augustus, obgleich er nach dem siege bei Actium über ungeheuere truppenmassen gebot, und obgleich die Könige Phraates von Parthien und Artaxes von Armenien, letzerer aus römischer gefangenschaft entwichen, und von den Parthern auf den thron gesetzt, mit Rom im kriegstande waren, unternahm den rachezug wegen des tages von Carrae nicht, den näher liegenden aufgaben vor weiter aussehenden den vorzug gebend. Darüber stutzten nicht wenige, und diesen tadlern autwortet hier der dichter. Quae quidem ea de causa excutere atque refellere omitto, quod Seligerus et Niemeyerus locupletissimis argumentis probaverunt Teuberi et Mommsennii coniecturam prorsus reiciendam esse. (P. Seliger, *Jahrbücher für Philol. und Pädag,* 1890 p. 71 sq.; K. Niemeyer *Jahrb· für Phil. u. Pädag.* 1892 p. 71 sqq.). Ea tantum Niemeyeri verba transcribam, quae aptissima mihi videntur ad Mommsennii opinionem plane infirmandam atque diluendam « .... unlogischer konnte Hor. nicht wohl verfahren

Nunc vero non alienum esse videtur breviter explicare unde horum carminum origines eruendae sint. Carmen III. 8 quo tempore ortum sit si recte perspiciatur, carminum quoque 13 et 17 libri II. atque in universum 20.[i] libri I. aetatem definire licebit. Primum enim quid arboris lapsu periclitatus sit poeta, narratur carmine II. 13, quod evidenter eodem quo C. II. 17 intervallo compositum est. Legitur enim in C. II. 17 populum Romanum theatro spectantem eo ipso quo Horatius e periculo evaserat tempore, Maecenatem e gravi morbo recreatum triplici plausu salutavisse. Carmine autem III. 8 miranti Maecenati quod kalendas Martias Matronalibus sacras celebret atque cur diem festum agat percunctanti significat poeta Kalendis Martiis proxime praegressi anni ex vitae periculo, in quo arboris lapsu versatus erat, deorum ope ereptum se esse atque anniversariam infelicis illius casus memoriam diis pie grateque colendis celebrare. Carmine denique 20.°; L. I.[i]: invitat Horatius Maecenatem ad compotationem « vilis Sabini » eo ipso anno a se conditi, quo patronus theatrum ingressus a plaudenti populo benigne exceptus sit. De hac temporum ratione, quam inter quattuor carmina intercedere primus, quod sciam, Kirchnerus recte iudicavit, (1) omnium fere in unum congruunt sententiae: solus

als wenn er seine Meinung, dass man sich um dieser gefangenen willen nicht aufzuregen brauche, vielmehr die Parther gern in ruhe uud den factischen friedenszustand bestehen lassen hönne, dem manne in den mund gelgt hätte, der notorisch den senat bestimmt hatte ohne rücksicht auf seinen sicheren tod den krieg aufs kräftigste fortzusetzen mit truppen, denen durch sein und seiner mitgefangenen verderben klar gemacht war, dass es für den römischen soldaten heisze « aut vincere aut mori ». Oder vielmehr eine merkwürdige art von logik hätte seinen lessern zutrauen müssen, wenn er von ihnen verlangt hätte in der gegen einen schimpflichen frieden gerichteten, in jedem worte krieg atmenden rede des Regulus eine verteidigung der friedenspolitik des Augustus, eine ermahnung zu patriotischer resignation zu entdecken. »

(1) L. l. p. 9.

Wanderbourgius, ut duos priores odarum libros ante tertium emissos ostenderet, eam infringere conatus est. Verbis enim (C. III. 8.) « hic dies anno redeunte festus » non proximum ab arboris lapsu sed seriorem aliquem annum indicari arbitratur, plausus vero quem Maecenati in theatro dederint et illius quod poeta subierit periculi tempora congruere negat. In utroque fallitur. « Nam » ut Kirchneri verbis utar, « in carmine III. 8, nisi primum ab illo eventu, de quo C. II. 13. agit, sacrum anniversarium ex voto institueret, putidum foret, pro familiari inter utrumque usu, Maecenatem vel mirantem fingere, vel docere de re consueta tam insigni potissimum die, qualis erant Martiae Kalendae » atque in carmine II. 17 « comparatio inter utriusque astrum incredibili modo consentiens, omnem perderet vim, si diversis annis utramque rem factam statueremus » (l. l. p. 9). His positis, carminis III. 8 annum natalem exquiram. Omnia quae v. 17-25 continentur indicia :

Mitte civilis super urbe curas
Occidit Daci Cotisonis agmen
Medus infestus sibi luctuosis
Dissidet armis ;
Servit Hispanae vetus hostis orae
Cantaber sera domitus catena,
Iam Scythae laxo meditantur arcu
Cedere campis

ex Frankii iudicio (1) in annum 729 mire quadrant, Webero et Lachmanno auctoribus, (2), quibus plane Schuetzius (3) assensus est, ad annum potius 725 referenda sunt. Christius autem cunctanter primum secum considerat utrum

(1) L. l. p. 158 sqq.
(2) Weberus l. l. p. 240 sqq. et 250 sqq.; Lachmannus in epistula *Fastis Horationis* adiecta.
(3) L. l. p. 170.

Frankii an Schuetzii opinioni sibi accedendum sit, eo tamen tandem inclinat, ut Schuetzii rationes probabiliores ducat. Sed calculos ipsos excutiamus.

Veteres quidem Horatii interpretes, qui ad unum omnes, Massoni auctoritatem secuti (1) odam anno 734 compositam esse putaverant, satis superque, opinor, redarguit refellitque Frankius, asseverans, neque Dacos anno 734 a Lentulo devictos, neque Maecenatem, Augusto ex Italia absente, urbi praefectum esse, neque tum temporis poetam « Medum sibi infestum » dicere potuisse, cum controversiae inter Phraatem et Teridatem inde ab anno 731, Augusti et senatus intercessu, diiudicatae iam essent et Phraates anno 734, diu in regnum restitutus, Parthorum solio cum bona pace sederet. Quocirca et Nowotnyus et Krawutschkius (2) (qui odam anno 734 vindicarunt) pravo illi diuque vulgato veterum interpretum iudicio ne paululum quidem nostris diebus tribuere debuerant. Frankius vero nullo alio tempore nisi annis demum 725 vel 729 vel 731, quibus Romani cum illis gentibus pugnaverunt, de Cantabris a Romanis victis mentionem inici potuisse censet. Opinatur autem neque de anno 725, quo Cantabri nondum « sera » domiti fuerint « catena », neque de anno 731 cogitari posse, quo tempore, Augusto Romae commorante, Maecenas urbi praepositus non fuerit: omnia vero indicia annum 729 prodere, tum enim Maecenatem urbi praefuisse et Cantabros subactos esse, poetamque de « Medo sibi infesto » ideo gloriari potuisse, quod Scythae, sedibus suis relictis, Phraatem in regnum reduxissent et Teridates in Hispaniam ad Augustum profugisset. Quamquam ingenue fatetur, nullum apud rerum scriptores reperiri posse testimonium, unde Maecenatem anno 729 praefecturae munere functum esse arguas. Atque de Dacis, quamvis nihil de proelio, quod Dacorum manus

(1) Cfr. Massoni. *Vitam Horatii* p. 277 sq.
(2) Nowotnyus l. l. p. 16, Krawutschkius l. l. p. 9.

anno 729 contra Romanos commiserit, rerum scriptores memoriae prodiderint, ideo tamen Horatium ita canere potuisse arbitratur, quod M. Crassus iam anno 725 de variis gentibus Danubii accolis, ut Dacis, Bastarnis Getis, Gelonis victoriam consecutus esset atque proximo anno triumphum egisset. Scythas denique fingit sibi Frankius anno 729 ea de causa « laxo arcu cedentes campis » a poeta depingi, quod, cum accepissent Parthorum lites ex Augusti arbitrio compositas esse extimescere coepissent et arma deposuissent. (1)

Contra haec a Frankio pro anno 729 proposita argumenta nihil Christius attulit nisi quod nullum auctorem, qui belli cum Dacis a Romanis anno 729 gesti mentionem faciat, exhiberi posse opposuit. Atqui Frankii in rationibus quaedam alia deprehenduntur, quae prorsus vel aliqua ex parte mihi quidem improbanda videntur.

Primum enim quod Maecenatem anno 729 urbi praefuisse defendit, mera coniectura continetur. Nam Maecenas anno 718 urbi praepositus fuit, tum anno 723, usque ad Octaviani reditum, mense Augusto anni 725 ex Oriente factum (2) Neque aliud tempus, quo praefecti munus sustinuerit, a rerum scriptoribus commemoratur, atque Tacitus, gravissimus ille auctor cuius religiosae narrationi temere fidem derogare nemini in mentem incidit, de solis temporibus quibus bella civilia exarserunt (718, 723-725) verba fecit. (3) Quid, si Cassius Dio, qui in huiuscemodi rebus narrandis diligenter singula persequitur, magistratum, quem Maecenas anno 729 gesserit, ne verbo quidem attingit? Quodsi de honore anno 729 Maecenati tributo in publicis Actis legisset, nihil, opinor, cur in componenda historia silentio id praetermitteret habuisset. Quamquam his omnibus neglectis a verisimili alienum non est Maecenatem anno

(1) L. l. p. 158-162.
(2) Dio Cass. 49, 16 et 51. 3.
(3) Annal. VI. II.

729, absente ex Italia Augusto « urbis praefctum » esse potuisse. Verum cur tandem factum esse nequit ut tum temporis non Maecenas sed Agrippa illud munus sustinuerit? Constat enim Aggrippam anno 723 Augusti iussu ex Asia Romam se contulisse, ut Maecenatem in praefetura opera sua adiuvaret, anno autem 732 urbi praepositum esse atque anno 725 et 726, cum ad emendandos mores una cum Augusto censura fungeretur, aptissimo ad res gerendas ingenio sese abundare ostendisse. Frankius vero suam coniecturam eo tantum tueri conatur, quod etiam versibus 25-29 carm. 29.[1]: libri III.[i]: quod anno 729 scriptum sit, Maecenatis praefecturam significari vult. Inde autem carm. 29 l. III. anno 729 adscribendum esse opinatur, quod « cum Seribus vel potius Indis anno 729 Romanis rem fuisse » e carm. I. 12. 56 appareat. Sed et odae III. 29 et I. 12 aetatem tam clare exploratam non habemus ut alius eas ad alia tempora non retulerit (1). Deinde Kalendis Martiis anni 729 nullo iure Cantabri « sera domiti catena » dici potuerunt. Augustus enim, militiae laboribus fractus tamque gravi morbo correptus ut in vitae discrimine versari putaretur Tarraconem secessit et Caio Antistio Titoque Carisio legatis, ut bellum ad finem perducerent, mandavit. Quod etiam ex eo confirmatur quod anno demum 730, cum bellum perfectum iam esset et Augustus vel primo vere vel aestate Romam rediisset Iani templum iterum clausum est.

Tum, si consideraveris, Horatium poemata sua per oblatam occasionem composuisse, in iisque componendis certum quoddam sive tempus sive consilium respexisse, atque carm. III. 8 ab iis segregandum esse quae magis ad lusum ingenii quam ad certum aliquem finem conscripta sint, sponte etiam concedes poetam anno 729 calamitatem quam Daci quattuor ante annos accepissent, ut rem nuper

(1) De utriusque carminis temporibus paulo inferius nobis disserendum erit.

factam parum opportune commemoraturum fuisse. Idque eo facilius tibi persuadebis si verbis « Daci Cotisonis agmen » non ingentes copias sed exiguam Dacorum manum significari largieris.

Scythas denique Horatius inepte sane anno 729 arma abicientes atque ea sola de causa « campos » relinquentes sibi finxisset, quod Augustus discidiorum arbiter constitutus esset. Nonne enim mirum scilicet foret extimescentes eos cogitare qui nuperrime armis decertantes Phraati regnum et diadema iterum detulerant, praesertim cum Augustus tam longe ab iis distaret et Cantabrici belli negotiis distineretur vel iam gravi morbo implicaretur? An barbaras illas catervas quae plerumque vagantes omne studium ad confligendum conferre consueverant et societate coniunctae erant cum Phraate (tam crudeli rege ut simulatque imperio potitus esset, patrem et triginta frates occidi impie iuberet) extemplo audaciam comprimentes vel iam perterritas fingere possumus? Illud quoque accedit quod legati anno 731 missi tam superbe et arroganter « servum Teridatem » Phraatisque filium non repetiissent, nisi Phraates Scythaeque eius socii viribus suis et armorum ope usque confisi essent.

Sed illuc iam unde digressus sum revertor. Variis igitur de causis, ea tamen praecipue, quod praefecti honorem anno 729 Maecenati tributum esse meris coniecturis augurari nequeatur, carmen octavum libri tertii anno 729 abiudicandum esse videtur. Ac Lachmannus in Epistula ad Frankium, (« Fastis Horatianis » adiecta) de huius odae tempore a Frankio se discedere scripsit, eamque anno 725 ortam esse statuit. Neque a Lachmanno Weberus dissensit, quamvis eius Epistulam ignoravisset et ipse per se de carminis aetate quaesivisset. Iis praeeuntibus Obbarius (1),

(1) L. l. p. 209.

sex laudatis eclogis ad arbitrium adiecto, gnomicum Horatium finxisse poemation affirmavit. Quo suo iudicio quam procul erraverit vir doctus, inde potissimum cernitur, quod non exiguum, ut rationi suae faveret, stropharum vel versuum numerum omittendum iussit. (I. 33-40; II 17-72; VI 9-16; 25-32; XVI 11-15, 38-42). Accedit quod pleraque gnomici istius poematis membra ab illo distincta neutiquam indolem coloremve gnomicae poesis peculiarem referunt. (1)

Carmina igitur cum nullo pacto ita copulanda sint, ut unum poemation efficiatur, sed tam miram scilicet et consilii et versuum similitudinem prae se ferant (uno enim eodemque metro sunt composita) ut, temporis ratione habita libri tertii in fronte coniunctim digesta videantur, omnium verisimillimum iudico non magnum inter ea conscripta intervallum interiectum fuisse. Cancelli autem intra quos omnia sex confecta sint quo propius definiantur, recte haec statuisse mihi videor.

I) Eo tempore carmina litteris consignata sunt, quo morum perversitas magis magisque in civitate increbruerat, ideoque principes rempublicam gerentes melioribus et institutis et legibus, ut publica utilitas postulabat, longe lateque diffusa vitia emendare, publicae ac privatae vitae rationem commutare studebant. Quod si perpenderis, facile etiam tibi explicare poteris, cur tandem poeta in extremo carmine sexto cecinerit: Aetas parentum, peior avis, tulit — nos nequiores, mox daturos — progeniem vitiosiorem.

II) Intervallo quo conscripta sunt Augustus ex urbe diu absens non fuit, cum admodum probabile sit, quamvis Maecenatis et Agrippae opera uteretur, qui regendae civitatis satis periti erant, ipsum tamen senatui de illis rebus deliberanti saepius adstitisse capiendique consilii moderatorem fuisse.

(1) Contra Peerlkampium disseruit Luebkerus, *Commentar zu Horaz's Oden*, I-III, Schleswig 1841 p. 401-405 et Schuetzius l. l. p. 353.

III) Tum temporis orta sunt quo Horatius iam animum induxerat fore ut Augustus communi prosperitati consuleret itaque sibi facultatem dari in eius partem fidenter transgrediendi. Quocirca etiam eclogis III, 1-6, quibus priscam Romanorum virtutem et temperantiam praedicavit, non per assentationem sed integro iudicii animo Augusti tamquam praesentis numinis laudes inserere potuit.

IV) Satis probaliter arguere licet hoc temporis spatium quo omnia sex carmina confecta sint non plus duobus vel tribus maxime annis complecti.

Ad quae omnia si attenderis ac tecum praeterea consideraveris complures viros doctos, in primis Weberum (1) carmine III. 3 legendo, quo Augusti cognomen occurrit, ita animo affectos esse, ut odam anno 727 compositam putarent ad insignem illius appellationis honorem celebrandum, multo etiam verisimilius esse statues sex priora libri III.i: carmina non temporis spatio, quo Augustus ex Italia absens in Oriente versabatur (inde ab anno 732-735) sed priori intervallo inter annum 726 et 728 intercluso concinnata esse.

Postremo liceat mihi alia quaedam adicere, quibus opinionem quam defendo eo magis confirmem.

Aestate enim anni 725, sopito aliquando civilium armorum furore ac bellis contra Parthos aliasque exteras gentes ac nationes confectis, in urbem ingressus Augustus, labefactatam rempublicam et pristinis sceleribus quasi dilaceratam, civium autem mores maxime corruptos depravatosque sensit. Iam inde a tempore quo Marius et Sulla inter se contenderant, rerum perturbatio ac vitiorum turpitudo in civitate ingravescere coeperant: non amplius dii religione et sanctitate colebantur eorumque templa vel

(1) Cfr. etiam quae hac de re Bambergerus disseruit in Philol. II, p. 691 sqq.

tatur ad bibendum « Vile Sabinum » eo ipso die a poeta conditum quo dilectus amicus exsultantis populi plausu in theatro exceptus erat, anno 726 vel 727, vel maxime anno 728 ortum esse. Christium contra si audias, oda vigesima libri primi anno 734 vel 733 composita est. Verum, si hic illic quidem dubitatione parumper aestuavi an Christii sententiae repudiandae viderentur, hoc sane loco ne paululum quidem haesitabo eiusque calculis funditus reiectis certa incertis praeferam. Qua tandem enim alia de causa carm. I. 20 ad annum 734 referre potuisset, nisi « vile » quod Horatius Maecenati suo opposuit « Sabinum » ante octo vel novem annos de dolio in Graecam testam diffusum esse coniecisset? Atqui omnibus in promptu est « vile » quod appellatur Sabinum non modo deterioris notae sed recens etiam, fortasse bimum vel trimum, vel maxime quadrimum fuisse (cfr. C. I. 9. 5 sqq. Dissolve frigus ligna super foco — large reponens atque benignius — deprome quadrimum sabina — o Thaliarche, merum diota).

De tempore carminis III. 3.

Plerique perscrutandae carminis summae diligenter incubuerunt qui in contrarias sententias digressi sunt. Quidam enim priori tantum carminis parte eam latere Iunonisque orationem ornamenti causa adiectam opinantur, reliqui contra non iniuria opponunt, etiamsi istiusmodi digressiones e fabulis depromptae saepissime inveniantur, vix tamen poetam tam longiori excursu, qui plus dimidiata ode complectitur, temere a proposito argumento discessurum fuisse. Quocirca etiam pro discrepanti illo, quod statuerunt carminis consilio alius alium natalem eius annum fuisse

credunt. Quorum Struvius (1) assentiente Feldbauschio (2) speciosius quam verius suspicatur, Horatium postquam Aeneidem primum lectitasset, haec composuisse, ut quod a Mantuano in medio relictum esset, qua tandem ratione Roma imperium in exteras gentes, Innonis odio neglecto, adepta esset, ipse caneret explicaretque. Andacius id scilicet quam verius excogitavit: omnes enim facile animadvertunt, eiusmodi consilii carmen Venusinum post Vergilii mortem, eo demum tempore, quo Aeneis satis divulgata esset, compositurum fuisse, quod sane vix credibile est.

Nec probabiliori coniectura Tanaquillus Faber opinatur, Horatium anno 726 Augustum dehortari voluisse ne imperii sedem Troiam transferret: huc enim Iunonis verba spectare, quibus etiam atque etiam Romani a restituenda Troia deterrentur. Nam anno 726 nondum Octavianus Augusti cognomine insignitus erat (« Quos inter Augustus recumbens — Purpureo bibit ore nectar » v. 11 sq.) et dubiis illis de transferenda sede rumoribus Caesari soli huiusmodi consilium tribuebatur, non Augusto, quippe qui, civili qua erat calliditate et sapientia, a rerum mutatione qua populare studium et favorem amisisset, haud dubie abhorruit. Nihilominus Fabri commentum Loebellio (3) arrisit, qui odam anno 733, cum Augustus in Asia versaretur, compositam esse credidit, Dacierio autem tantopere ut summo perfusus gaudio dubius haereret, utrum magis Horatium admiratione dignum haberet, qui tam tecta arte suum consilium adumbravisset, an potius Fabri ingenium, qui sexdecim post saeculis, dimotis nebulis, arcanos poetae sensus aperuisset. (4) Quae omnia falsa esse cum iam ostenderit

(1) Cfr. *Historische u. litterarische Abhandl. der Königl. deutsch. Gesellsch. Königsberg* I. Saml. 1830 S. 157-205.

(2) In scripto *De Horatio non adulatore*, p. 40 sq.

(3) Cfr. *Lübker Commentar zu Horaz's Oden Buch* I-III, Schleswig 1843, p. 322.

(4) Cfr. Massoni *Vitam Horatii*, p. 270.

Bambergerus (1), ad Massoni potius iudicium commemorandum transeo, qui Horatium anno 733, cum Augustus in Sicilia Asiatico itineri se praepararet, carmen stilo signavisse putat. « Cum Romae » inquit, « in magistratibus et praesertim consulibus creandis omnia factionibus conturbarentur, teste Dione, cordati viri Augustum Romam evocarunt, nec tamen ipse redire voluit sed in proposito consilio mansit. Huc enim respicit « Iustum et tenacem propositi virum ... ». Parum verisimile. Ut praetermittam enim, Massonum omnia fere, ubi Parthi commemorantur, Horatiana, praeiudicata opinione ductum ad annum 734 vel ad proximum tempus reiecisse, num fieri potest ut in versibus quibus Augustum respici Massonus putat, verba « non vultus instantis tyranni mente quatit solida » de Augusto recte interpreteris?

Nec « triumphatis » cogimur « Medis » ut de plane subactis vel iam subiciendis cogitemus. Iuno enim, dum in concilio deorum futuras imperii sortes praenuncians fingitur, eiusmodi res vaticinatur quae Horatii quidem aetate partim iam acciderint, partim fortasse nondum perfectae sint. Atque etiamsi quis vaticinium illud de re tantum intelligendum esse defendat quae compositi carminis tempore iam perfecta sit, nonne etiam res anni 725 respici potuerunt, quo tempore Octavianus triumphum de Medis egit, et patres Romae, cum primum accepissent de pacis conditionibus agi, divinis honoribus et hymnis eum celebrari iusserunt? Quin etiam Horatius fortasse id tangere voluit, cum cecinit:

Quos inter Augustus recumbens
Purpureo bibit ore nectar.

Frankius (2) vero pro ea temporis communione, quam inter sex priores libri III. odas intercedere statuit, censet

(1) Cfr. *Philologum* II. (a. 1847) p. 690-704.
(2) L. l. p. 187 sq.

poetam hoc carmen anno 727 composuisse, ut optimis ominibus expeditionem prosequeretur, quam Romani contra Orientem praecipueque contra Parthos et Britannos susceperunt. Frankii opinionem vulgo acceptam uberius defendit Bambergerus (1) cui etiam Rauchensteinius adstipulatus est (2).

De tempore carminis III. 29.

Frankius propter similitudinem quae inter v. 25-29 huius carminis:

tu civitatem quis deceat status
curas et urbi sollicitus times
quid Seres et regnata Cyro
Bactra parent Tanaisque discors

et v. 17 carm. III. 8 (« mitte civiles super urbe curas ») intercedit, odam anno 729 adscripsit: tum enim temporis Maecenatem urbi praepositum esse credidit. Verum etiamsi infitiari nequeas, aperta illa versuum similitudine ad eundem utriusque carminis annum natalem nos delegari, perperam tamen ad annum 729 nos reici concedes. Nam Maecenas non anno 729, ut alias monui, sed intervallo inter annum 722 et 725 incluso urbi praefectus fuit. Quare etiam Kirchnerus nullo iure de anno 733, quo anno Agrippa urbi praepositus fuit cogitavit. Dixerit fortasse qrispiam, Maecenatem, qua fuit intima familiaritate cum Augusto coniunctus, tamquam secretorum omnium arbitrum, non modo praefecturae tempore sed quacumque occasione praebita de reipublicae negotiis sollicitum fuisse, ideoque v. 25-29 ni-

(1) L. paulo supra laudato.
(2) In diario *Schweizerisches Mus.* II.

hil tam grave contineri, unde praefecturam designari concludas. At verba « tu civitatem quis deceat status curas » tam significantia apparent ut mihi quidem diserte Maecenatis praefecturam denotare videantur. Versus igitur 25-29 optime conveniunt potestati quam Augustus Maecenati flagrante bello civili concessit, de qua Tacitus haec tradidit: « Ceterum Augustus bellis civilibus Cilnium Maecenatem equestris ordinis cunctis apud Romam atque Italiam praeposuit » (1) Illius autem intervalli probabilis annus ut definiatur, peropportunum videtur, quod Schuetzius recte monuit, (2) vix Horatium, nisi Actiacum proelium iam commissum et Aegyptus iam subacta esset, Indorum, Parthorum Scytharumque rebelliones, quae bellis civilibus effervescentibus, levioris quidem momenti visae essent, commemoraturum fuisse. Iam, cum Alexandria urbs mense Septembri anni 724 capta sit, stropha vero 5ª: Iulius mensis clare respiciatur, hinc haud dubie effici potest, carmen mense Iulio anni 725, priusquam Caesar (mense septembri) Romam rediisset, scriptum esse.

Boethingerus (3) et Obbarius (4) ad annun 724 retulerunt, Grotefendius nescio quo pacto ad annum 734 (reliqui vel ad annum 738). Dillenburgerus (5) autem his de causis ante annum 729 fingi potuisse negat: « quo anno » inquit « scriptum sit certum non est; sed cum Maecenas aedes suas in Esquiliis iam habeat exstructas (v. 10), Horatium etiam in Sabina villa habitare ex initio perspicuum sit, praeterea versu 28 Teridatis et Phraatis Parthicorum discordia tangatur, verisimillimum est ortum esse carmen non ante annum 729 ». Sed ista quominus odam temporibus

(1) Annal. VI. II.
(2) L. l. p. 211.
(3) Cfr. Luebkeri. *Commentarium in tres priores carm. libr.* p. 528 (Schleswig 1861).
(4) L. l. p. 260.
(5) In Horatiana edit. (Bonnae 1875) p. 231.

anno 729 praegressis tribuas, minime, opinor, te morabuntur. Nam primum Maecenas iam anno 723 domum in Esquiliis exstruxerat, quod e v. 2-5

Tecum sub alta — sic Jovi gratum — domo
Beate Maecenas, bibam . . .

epodi 9, elucet, quem exeunte anno 723, cum Actiaci belli primus nuntius Romam allatus esset, compositum esse vulgo existimant. Tum Horatius « Sabinos » quos a Maecenate dono acceperat inde ab anno 722 vel 723 possedit. Intestinae denique discordiae iam anno 724 vel 725 exarserunt, quo tempore Teridates in Syriam ad Augustum perfugit. Schuetzio igitur accedens carmen anno 725 exaratum esse puto.

De tempore carminis I. 21.

Carminis I. 21 aetatem qui definire conantur eiusmodi difficultatibus laborant, quas infringere satis arduum sit. Acro scholiasta et Massonus odam ad annum 737 pertinere censuerunt sed a Bentleio erroris convicti. Nimirum similitudine quadam sententiarum inter hoc carmen et saeculare intercedenti ita in errorem inducti sunt ut alterum alteri tamquam cantus praelusionem praecessisse crederent. Sed nec prooemium est, nec quod tantopere Duentzero arrisit, carmen quod appellant alternum vel amoebaeum. Nam id si foret « absurda esset » (quod recte monuit Orellius) « ista cantantium allocutio ad semet ipsos « Vos-vos » » (1) Grotefendius (2) autem anno 727 adscripsit,

(1) In III Hor. editione ab Orellio illustrata Tur. 1850-52. (In praefat. ad hoc carmen).

(2) Grotefend. *Schriftstellerische Laufbahn des Hor.* p. 30; Frankio auctore (p. 163) Grotefendius odam anno 731 adiudicavit.

Kiesslingius anno 736 vel 737 (1). Kirchnerus vere pestilentiam respici credidit quae anno 732 in urbem incidit. At si morbum illum strophâ 4.ª poeta tangere voluisset, eiusmodi sane preces adhibendae ei non erant, quibus tam universe atque generatim dei auxilium imploraret, sed quibus disertius de amovenda pestilentia loqueretur. Praeterea fieri etiam potuit ut Horatius eo tempore, quo Roma et Italia nec morbo insanabili nec alio quolibet infortunio laboraverint, Apollinem et Dianam, numina averrunca et salutaria obtestaretur, ut a populo Romano bella, famem, pestem, alias calamitates averterent.

Frankio denique et Duentzero auctoribus carmen compositum est anno 726, ad celebrandum diem quo primum ludi quinquennales Actiaci acti sunt in Apollinis honorem, qui Augustum Actiaca pugna protexisset. (2) Frankii vero opinio hoc praecipue scholio Cruquiano innititur, quod aliunde petitum Carmini Saeculari perperam adiectum putat: « Itaque quum Augustus ab Actio Epiri promontorio, Antonio superato esset victor reversus, ludos scenicos Romae celebravit in honorem Apollinis et Dianae, sed praecipue Apollinis, quod putaret se ab illo praecipue fuisse defensum, et propter hos ludos et carmen Augustus divus (cf. ad od. I. 2) tunc esse meruit, in cuius gratiam Horatius in Capitolio decantari fecit a pueris et puellis hoc carmen a se edoctis ». Censet insuper vir doctus Horatiano carmine famam illustrari quam Octavianus propter nuper conditam Bibliothecam Palatinam sibi acquisivisset atque coniecturae suae hinc etiam vim et confirmationem provenire quod Persarum mentio Britannorumque facta ad annum 726 nos deleget quodque versus 13–16 ita comparati videantur, ut pateat Horatium, cum ista scriberet, aeque ac in C. I. 2 componendo affectum esse.

Sed si accuratius Frankii rationes inspexeris, quae-

(1) L. l. p. 101.
(2) Cfr. Frankium l. l. p. 163 sq.; Duentzerum l. l. p. 22.

dam deprehendes quae iis officiant. E locis enim a Frankio e Dione Cassio collectis efficitur ludos Actiacos in unius Apollinis honorem editos esse. Carmine vero I. 21 praeter Apollinem ipsa Diana celebratur. Praeterea quae de translato scholio contendit fidentius ea quam verius sibi persuasit. Probabilius enim fit, scholion illud ad Carmen Saeculare alia de causa pertinere. Ludis enim saecularibus novi cuiusque saeculi initio editis (anno 245, 305, 505, 605) praeterito tempore Plutoni et Proserpinae in Campo Martio sacrificabant, anno vero decimo, postquam Octaviano Augusti cognomen inditum est, non inferae illae divinitates sed, sicuti e Carmine Saeculari elucet, Apollo et Diana invocati sunt, quippe Apollo et Augusti fautor habebatur et gentilium deorum in numerum relatus fuerat. Scholio igitur Cruquiano nihil aliud quam causa aperitur, cur poeta non Plutonis et Proserpinae sed Apollinis et Dianae auxilium impetraverit. Accedit quod etiam fieri potuit ut Noster non publico sollemni sed privato lusui (ut dies festos Apollinis et Dianae ipse ageret) poemation scriberet, quo poetice choragi personam se induentem fingeret ac puerorum puellarumque chorum exhortantem, ut probe ministerium susciperent. Quodsi mordacitus contendas, hunc hymnum publico tantum sollemni, quod cantandus vel recitandus esset, destinatum fuisse, quid, quaeso, detinere te poterit, quominus etiam de « ludis Apollinaribus » nescio cuius anni cogites? Eiusmodi enim ludos altero bello Punico inter sollemnes retulerant, ut pestilentiam et bellum tum temporis Italiam vexantia a se deprecarentur, indeque quotannis celebraverunt. Quod si concedas, versum 13 sqq. recte cum Schuetzio interpretari licebit.

Carminis igitur tempus definire arduum videtur. Quamquam ex omissa « Augusti » cognominis mentione suspicari licet, ante annum 727 ortum esse. Id tamen, ut alias monui, magni pretii non est habendum, praesertim hic, ubi « Augusti » cognomen honorifica « principis Caesaris » appellatione satis fortasse compensatur.

De tempore carminis I. 7.

Non temere affirmare possumus pauca esse Horatii carmina quae hoc obscuriora videantur. Sunt enim qui prava eaque futili sollertia ostendere conentur primam carminis partem (v. 1-15) apte cum altera connexam esse, alii contra maiore iure contendunt sententiarum connexionem neglectam esse atque post v. 15 quaedam omissa quae perspicuitatis causa interponenda essènt. Quocirca etiam in huius odae aetate constituenda ita in contrarias partes discesserunt viri docti ut aliud alius statuentes variis iisque oppositis temporibus eam assignaverint. Itaque, unum exemplum ut afferam, Gruppius anno 714 exaratam esse contendit, Campius contra anno 735. (1) Tam longum mehercule spatium quod inter a 714 et 735 interiectum est, documento sit nobis quam circumspecte in huiuscemodi quaestionibus — in tanta virorum doctorum discrepantia — iudicium nostrum ferre debeamus, ne commentis nostris effrenatius evagemur.

Omnes fere recentiores interpretes uno ore consentiunt odam missam esse ad Munatium Plancum, Tibure oriundum qui anno 712 consulari dignitate insignitus fuit: incertum tamen est qua singulari opportunitate praebita versus illi conditi sint. Nam cum Munatii Planci vita per plures annos varia atque mobilis fuerit, atque cum verbis:

. . . . . . sapiens finire memento
tristitiam vitaeque labores
molli, Plance, mero, seu te fulgentia signis
castra tenent seu densa tenebit
Tiburis umbra tui,

(1) Cfr. *Neue Jahrbücher für Philol.* 1877 p. 129-142.

nulla certa temporis vestigia contineantur, perquam difficile est diudicare quem tandem Munatianae vitae casum poeta tangere voluerit. Censuit Campius Munatium qui in Ep. I. 3 commemoratur unum eundemque esse ac Munatium ad quem carmen scriptum est de quo nunc disputamus: epistulam autem anno 734, carmen anno 735 natales habuisse. Quae quidem ea de causa probare non possum, quod antiquus Julii Caesaris legatus atque consul anni 712, anno 734 aetate tam longe provectus fuit ut minime verba extremae epistulae ei convenire potuerint (« at vos — seu calidus sanguis seu rerum inscitia vexat — indomita cervice feros.... »). Kiesslingius vero carmen adiudicavit temporis spatio inter annum 727 et 729 intercluso, quod verba « seu te fulgentia signis castra tenent » expeditionem in Hispaniam, qua Plancus Augusto comitem se adiunxerit respicere videantur. (1) At huic opinioni si accedimus obscurum profecto atque inexplicabile est nobis cur Plancus sollicitudinibus afflictus in maestitia iaceat. Enimvero si consideraveris Planco auctore Octavianum anno 727 honorifica Augusti appellatione exornatum esse eodemque anno adiuvante Planco rempublicam novis legibus atque institutis temperatam, qui tandem tibi persuadere poteris animum eius tum temporis moerore et curis exagitatum esse? Quamquam Kiesslingius, aliquot post annos iudicio suo de odae tempore mutato, eam post annum 725 scriptam esse affirmavit (2), quod verisimillimum sit, Horatio v. 25-32 pangenti Aeneidis locum obversatum esse (Aen. I. 195 sqq.). Vereor tamen ut sine ulla dubitatione statuere nobis liceat Vergiliani loci vestigia Venusinum pressisse. Meam vero sententiam si sciscitcris, Frankio adstipulor qui carmen non antequam Plancus Antonium dereliquisset

(1) Cfr. Kiessling. *Philologische Untersuchungen* (Kiessling u. Willamowitz-Moellendorff Berlin 1881 (II. Heft. Zu augusteischen Dichtern) p. 59-61.

(2) In Horatii editione supra laudata p. 53 sq.

scriptum esse opinatur. (1) Quin etiam non temere artioribus cancellis odae natales circumscribens, spatio eam adiudicaverim inter annum 722 et 727 interiecto, cum propter metri similitudinem quae inter hoc carmen et epodum 12 intercedit, tum etiam quod verisimile mihi videtur Planci animo maestitiam eo tempore potissimum excitatam esse, quo vitae ratione et moribus maximam ingenii sui inconstantiam levitatemque patefecit, atque prodita fide ad novas continuo partes transiens omnium odium in se convertit; qua de causa Horatium, qui illius villae propinquus accolebat, humanitate atque urbanitate permotum poetico munere laetiorem eum reddere tentavisse. Anno vero 727 et proxime subsecutis, quamquam ne tum quidem civibus suis gratus acceptusque esse potuit, familiariter tamen cum vixerit cum Augusto eique post tot vicissitudines atque defectiones fidem servaverit, levioribus causis ad maestitiam adductus esse mihi videtur.

Jam vero, autequam ad reliqua procedam, liceat mihi, quaeso, quam paucissimis monere frustra operam suam impendisse quosdam interpretes ut similitudinem quandam inter Planci et Teucri vitam detegerent (cf. v. 21-32). Temere enim arbitrati sunt, eadem ratione qua Teucer, cum Aiacem fratrem a nece deterrere non potuisset, Telamoni patri eius caedis auctor apparuisset, ita etiam Plancum, qui fratrem suum proscribi iussisset, mortis eius auctorem a Romanis consideratum esse.

Sed longissime omnium in commenticiis fingendis progressus est Anspachius, quo auctore Horatius anno 722, cum Plancum propter Cleopatrae superbiam relictis Athenis ab Antonio ad Octavianum descivisse comperiisset optimeque nosset quanta esset Planci mobilitas, carmen composuit ut vacillantem eius animum confirmaret atque ad Augusti partes sequendas impelleret; itaque eum Athenis fugientem

(1) L. l. p. 149.

ex Antonio atque Cleopatra cum Teucro Salamina patremque deserente comparavit. (1) Equidem vero — Anspachii commentis prorsus reiectis — nullo negotio odae clausulam intelligi posse affirmo, dummodo animadvertatur extremis illius strophis, quibus Teucri vicissitudines (ex fabulis repetitae) narrantur nihil singularis atque reconditi latere. Haec enim est carminis sententia: « Tiburis amoenitates uberius extollere studet poeta, ut hac potissimum regione Plancus delectetur. Itaque Tiburtinas dulcedines celeberrimis et iucundissimis Graeciae civitatibus praefert, quarum in aliquam fortasse Plancus — Romanis civibus parum acceptus — ante annum 727 secedere constituerat. Tristitiam autem, qua conficiebatur amicus, ad deleniendam hortatur eum ut vino pellat curas, quemadmodum Teucer, cum paternam domum relinquere coactus esset, una cum sociis bibens animum curis exoneraverat ». Hanc autem interpretationem ne temere me proposuisse credas, Ciceronis locum afferam. « Postremo » inquit « ad omnis casus facillima ratio est eorum, qui ad voluptatem ea referunt, quae secuntur in vita, ut, quocumque haec loco suppeditetur, ibi beate queant vivere. Itaque ad omnem rationem Teucri vox accomodari potes: « patria est, ubicumque est bene » ». (2) Quo loco apte conferenda sunt illa Aristophanis: πατρίς γάρ ἐστι πᾶσ', ἵν' ἂν πράττῃ τις εὖ (3).

De tempore carminis I. 12.

I. Ante omnia pauca praeposuisse invabit de stropha 12.a (Crescit occulto velut arbor aevo — fama Marcelli; micat inter omnes — Julium sidus velut inter ignes — luna

(1) L. l. p. 6 sq.
(2) Tusc, Disp. V. 37.10.
(3) Plut. 1151.

minores) qua in illustranda quam diu interpretes cunctati atque quantopere tergiversati sint, omnibus fere compertum est. Vulgo exhibent codices « Marcelli ». Sunt tamen qui in hac lectione offendantur cum sibi persuaserint, parum apte unius adolescentis famam Juliae gentis celebritati opponi atque parum opportune post longam mortuorum seriem unum adolescentem, qui vivus adhuc esset, commemorari, ut rursus deinde defuncti Caesaris laudes praedicarentur. Itaque Peerlkampius, subtilissimus mendorum indagator, librorum lectione neglecta, « Marcellis » legendum esse iussit. Quam emendationem Kellerus in « Epilegomenis » ideo reiciendam censuit, quod « Marcellis — omnis — ignis » durum quoddam atque asperum sonare videantur. Alii contra Peerlkampio assentientes affirmaverunt plurali numero (Marcellis) eam vim subiectam esse ut cunctae quidem stirpis merita celebrentur, ita tamen ut potissimum atque imprimis extollatur Marcellus, Nolae victor, cuius nobilis imago in juniore Marcello tamquam in speculo expressa appareat. Ac tamen haec omnia tanti momenti non iudicaverim ut vulgatam lectionem temere removendam putem. Nam ut recte « fama » de uno viro usurpari potest, ita etiam peropportune « Julium sidus » ita intelligere potes ut non ad cunctam Juliorum gentem sed ad unum Caesarem referendum sit. Praeterea verbis illis « crescit occulto..... fama Marcelli » nullum alium nisi Augusti nepotem respici, omnes fere scholiastae monuerunt. (1) Quorum e numero unus excipiendus est Ps. Acro qui haec addidit: « aut illum commemorat, qui primus Hannibalem apud Nolanam civitatem in fugam compulit et ab eo postea occisus est ». Postremo illud etiam animadvertemdum est, singulari laude dignum esse poetam, quod longa mortuorum serie enumerata, repenti atque necopinata transgressione ad laudandum Marcellum fere tran-

(1) Cfr. *Scholia Horatiana* (ed. F. Pauly).

siluerit, qui e veterum testimonio Augusto in deliciis fuit atque ad optimas de se spes Romanos excitavit. Sed quamcumque lectionem praeferendam censueris, sive paulo tectius (« fama Marcellis »), sive apertius (« fama Marcelli ») Octaviae filium celebrari putaveris, illud profecto statuendum tibi erit, odam ante extremum annum 731 compositam esse, quo tempore Marcellus e vita discessit.

II. In tempore huius carminis definiendo cum in magnas difficultates critici incurrerint, alius aliud sentientes in contrarias partes discesserunt. Opinatur Schuetzius odam exaratam esse anno 725, quo anno Octavianus Aegypto imperio subiecta in Oriente morabatur. « Alles » inquit vir doctus, « tritt (dagegen) ins hellste Licht und bedurfte keiner Ausführung, wenn die Unterwerfung Aegyptens und der dafür vorbereitete, aber noch nicht gefeierte Triumph gemeint ist. Aug. verweilte in J. 30 und Anfang 29 (725) im Orient; Jedermann erwartete er werde seinen Thaten durch Bestrafung der Parther (v. 53ff.) die Krone aufsetzen, wozu die eben begonnenen Thronkämpfe zwischen Phraates und Teridates die erwünschte Gelegenheit zu bieten schienen. Nach dem Triumph im Aug. 29 (725) freilich hätte die Erwähnung der Parther nur daran erinnern können, dass über sie wirklich nicht triumphirt war; was man sich jetzt als patriotische Mahnung und Hoffnung gefallen lässt, wäre dann als unwahre Prahlerei zu tadeln. Nicht minder begreiflich ist es nun, dass der Sieg über Antonius und römische Bürger nicht direct gennant ist; H. hat es aus richtigem nationalem Gefühl stets vermieden, und der Sieg über ein Weib würde der Erhabenheit dieses Liedes Abbruch thun. Wie weise also, dass er nur die fernsten und gefährlichsten Feinde Roms erwähnt, den Sieg selbst Jedem sich auszumalen überlässt. » (1) Huic tamen coniecturae illud potissimum adversatur quod Mar-

(1) L. l. p. 71.

cellus anno 725, utpote adolescens quattuordecim annorum vix pueritiam egressus, nondum Romanos ad optimas de se spes excitare potuit. Quod vere Schuetzius adfirmavit nullam Horatium de industria (a. 725) Antonii atque Cleopatrae mentionem fecisse, magni id habendum esse non crediderim, in carmine enim I. 37 — anno 724 composito — satis aperte Cleopatra nominatur perspicueque Antonii clades significatur.

Nowotnyus autem odam anno 727 assignat. (1)

Sed ne hoc quidem verisimile puto, quod, quantum nobis ex Annalium memoria concludere licet, Octavianus anno 727 non Orientis populis bellum illaturus fuit, sed expeditionem in Hispaniam paravit.

Hauptio denique atque Kiesslingio auctoribus carmen condidit Horatius ut faustis ominibus Marcelli nuptias prosequeretur, quae post Augusti reditum ex Hispania — anno 730 — celebratae sunt. (2) Quod quidem libenter ego probarem, nisi admodum singulare mihi videretur nullam omnino mentionem Cantabricae expeditionis iniectam esse ex qua Augustus in patriam regrediebatur, verba contra poetam frustra consumere maluisse de Seribus atque Parthis Latio imminentibus. Hanc difficultatem ad removendam ita versus 53-57 mihi explicare conatus sum ut Augustum fingerem ex Hispania regressum bellum Parthis inferre in animo habuisse; indeque Horatium de futuris Augusti victoriis vaticinium edidisse atque, poetarum more exaggeratis verbis rem augentem, imperii finibus imminentes dixisse Parthos, qui ut Seres, eorum socii, Romanae genti infestissimi erant. Hanc tamen interpretationem mirum quantum coactam duramque videri posse, non est qui non animadvertat.

Mea autem de carminis tempore sententiam ut pate-

(1) L. l. p. 7.

(2) Cfr. Kieslingii *Philol. Untersuch.* p. 50 et 70; Haupt. Opuscula III. 61.

faciam, potius ad annum 731 referendam esse existimo, quo tempore Phraates per legatos in urbe commorantes bellum se Romanis illaturum minabatur, nisi Teridatem fratrem, quem servum suum appellabat, sibi tradidissent atque ipsius filium, Romae captivum, reddidissent. Aptissime vero, ut Anspachius monuit, hoc anno Augustus « magnus » appellari potuit, quandoquidem huius adiectivi ea est vis ut opportune laudes et potentiam principis denotare potuerit, qui inde a Januario mense, tribunicia potestate exornatus fuerit. (1)

Peropportune etiam Anspachius Valerii Maximi locum attulit (VII. 6. 6), quo docemur anno 731 Parthici belli timore summa rei frumentariae inopia atque fame in Bosporana regione laboratum esse. Perperam contra videtur mihi vir doctus iudicavisse Agrippam rei publicae causa, Parthis arma intentantibus, in Orientem profectum esse, Dionis enim, Suetonii atque Taciti testimonio cognoscimus eo tantum consilio Roma in tempus discedere ab Augusto iussum eum esse, ut simultas inter Marcellum et Agrippam propter dignitatis aemulationem intercedens dirimeretur. (2)

Sed haec hactenus. Nunc ad alteram partem propositae divisionis progrediamur.

(1) Anspach, *Die horazischen Oden des I. Buches in Bezug auf Interpolation. Aufbau und Zeit der Abfassung* Theil II (Cleve 1888) p. 19 sqq.

(2) Dio Cass. Lib. 53: Φρίσας δ' οὖν, καὶ μαθὼν τὸν Μάρκελλον οὐκ ἐπιτηδείως τῷ Ἀγρίππᾳ διὰ τοῦτο ἔχοντα, εἰς τὴν Συρίαν εὐθὺς τὸν Ἀγρίππαν, μὴ καὶ διατριβή τις καὶ ἀψιμαχία αὐτοῖς ἐν ταὐτῷ οὖσι συμβῇ, ἔστειλεν. Καὶ ὃς ἐκ μὲν τῆς πόλεως εὐθὺς ἐξώρμησεν, οὐ μέντοι καὶ ἐς τὴν Συρίαν ἀφίκετο, ἀλλ' ἔτι καὶ μᾶλλον μετριάζων, ἐκεῖσε μὲν τοὺς ὑποστρατήγους ἔπεμψεν, αὐτὸς δὲ ἐν Λέσβῳ διέτριψεν. Sueton. Octav. 66. « Desideravit enim nonnunquam, ne de pluribus referam, et M. Agrippae patientiam, et Maecenatis taciturnitatem, quum ille ex levi rigoris suspicione, et quod Marcellus sibi anteferretur, Mytilenas se relictis omnibus, contulisset; ... » Cfr, Etiam Tacitum (Ann. 14. 53) qui « Mytilinense secretum » Agrippae « permissum » esse affirmat. et Plin. VII, 45-46.

II.

De tempore carminis I. 3.

Constat Vergilium anno 735 in Graeciam navigavisse, Qua de peregrinatione in Vergilii vita, quae Donati nomini addicitur haec narrantur: « Anno aetatis quinquagesimo secundo impositurus Aeneidi summam manum statuit in Graeciam et in Asiam secedere triennioque continno nihil amplius quam emendare, ut reliqua vita tantum philosophiae vacaret: sed cum ingressus iter Athenis occurrisset Augusto ab Oriente Romam revertenti destinaretque non absistere atque etiam una redire, dum Megara vicinum oppidum ferventissimo sole cognoscit, languorem nactus est eumque non intermissa navigatione auxit, ita ut gravior aliquanto Brundisium appelleret, ubi diebus paucis obiit XI Kal. Octob. Cn. Sentio Q. Lucretio coss. »

Sed quamvis vota ab Horatio carmine I. 3. suscepta ad illud iter pertinere videantur, quod Vergilium anno 735 ingressum esse et Vergilianae vitae scriptor et veteres scholiastae testantur, nullius tamen carminis in tempore constituendo in tantas omnes adducuntur angustias quam in tertii libri primi. Quod adhuc viris doctis tam grave exhibuit negotium, ut coniecturis tantum iisque compluries parum probabilibus, eius aetatem augurari conati sint. Nam si odam tertiam ad iter a Vergilio poeta anno 735 in Graeciam susceptum spectare statuatur, quaestio etiam tum subdifficilis exoritur, num fieri posssit, ut hoc unum poemation anno 735 conscriptum sit, cum fortissimis quidem rationibus argumentorumque momentis probari nequeat, ullum e reliquis, quae tribus prioribus libris continentur carminibus post annum 730 vel 731 compositum esse.

Omnes usque ad nostram memoriam veterum litterarum periti odam tertiam lib. I. tamquam documentum esse voluerunt familiaris inveterataeque illius amicitiae, quae Venusino cum Mantuano poeta intercessit. Poematio enim Horatius cum Vergilii amore impulsus animi sui sensus exprimere vellet, « animae dimidium » eum appellavit, quo suavissimo nomine in reliquis quae scripsit neminem alium nisi dilectum Maecenatem allocutus est. Primus Lachmannus (1), cum nullum priorum trium librorum carmen post anni 730 initium scriptum esse statuisset, carmen etiam tertium lib. I. non epico poetae Vergilio sed nescio cui ignobili terrae filio exaratum esse confidenter sibi persuasit. Frankius autem, magistri sententiam secutus, pro « Vergilium » « Quinctilium » (v. 8.°) legendum esse proposuit, intimaeque poetarum coniunctionis nobis relictum testimonium sublatum voluit. Quin etiam coniecturarum audacia usque eo processit, ut merum Horatio cum Vergilio usum et consuetudinem intercessisse ostendere studuerit (2). Quo in loco certe dolendum est quod ficta ista et commenticia defendit, cum in reliquis quae quaestiones nostras attingunt libelli partibus ingenii sui elegantiam et sagacitatem patefaciat. Itaque Christius optimo iure pro certo affirmavit carmine tertio lib. I. neminem alium nisi epicum poetam respici posse. Ac praeterea solus, quod sciam, Luebkerus in commentario quem in tres priores odarum libros composuit (3), Lachmanni et Frankii vestigia secutus, de Vergilio poeta cogitandum esse negavit. « Wer » inquit, « dieser gewesen sei, ob ein Anverwandter des Dichters oder des mit Cicero befreundeten Praetors C. Vergilius, ist uns hier ganz gleichgültig ». Egregie fallitur vir doctus! Reliqui contra viri docti usque ad Kiesslingium omnes (Obbarius, Duent-

(1) Cfr. *Hall. Litteratturzeitung* a. 1836 p. 259.
(2) L. l. p. 67.
(3) L. l. p. 76 sqq.

zerus, Dillenburgerus, Weberus, Streuberus, Feldbauschius, Estreus, Stallbaumius, Nauckius, Christius) (1) plane non dubitant, quin carmen in epici poetae honorem exaratum sit. Verissime! Nam cum Horatius neque adulatoribus aures patefecerit, neque vernilibus blanditiis et assentatiunculis cuiuslibet gratiam aucupatus sit, amoreque suo, quos eximie dignos habuerit, dilexerit, verisimile etiam est, unum e multis, quem fors ei obtulisset, tam blande aeque ac Maecenatem « animae suae dimidium » appellaturum eum non fuisse. Itaque versiculis initio carminis tertii positis artissima illa poetarum familiaritas, quae etiam aliis Horatianis locis illustratur, — Sat. I, 54, 40; 6, 54; 10, 45; Ep. II, 1, 245 — in clarissimam lucem profertur. Cum igitur epicum poetam Vergilium significari statuendum sit, quaeritur nunc fierine possit ut non iter anno 735 sed priori tempore susceptum a poeta respectum sit. Qua de re in contrarias partes disceditur a viris doctis. Qui enim, praeeunte Kirchnero, tres priores odarum libros anno demum 735 vel 736 emissos volunt, de ullo alio quam extremo Mantuani vatis itinere cogitandum esse negant: qui vero, Frankio auctore, librorum syllogam multo prius, anno 730 vel 731, vel 732, evulgatam esse defendunt, carmen tertium ad aliud quoque iter, quod Vergilius ante annum 735 vel susceperit, vel ingressurum se esse constituerit, spectare posse contendunt. Atque opinatur Frankius, etiamsi iu carmine non de « Quinctilio » sed de « Vergilio poeta » verba fieri largiendum sit, his tamen rationibus ad annum 735 referri neqnire.

I.) Primum interrogat: « Quis credat Horatium in ipso

(1) Obbarius l. l. p. 11 sq.; Duentzerus l. l. III, p. 43; Dillenburgerus l. l. p. 41 sq,; Weberus l. l. p. 234; Streuberus in libello: *Ueber die Chronologie der Dichtungen des Hor.* Basel 1843; Estreus in *Prosopographia Haratiana* p. 451 sq.; Stallbaumius in *Horatii vita* poetae scriptis ab ipso editis praefixa (Lipsiae 1854) p. LX; Schuetzius l. l. p. 12 sq.; Kiesslingius l. l. 38; Christius l. l. p. 9 sq.; Nauckius in *Hor. edit.* (Lipsiae 1874) p. 23.

libri exordio brevi antequam ederet tempore illud carmen collocasse, neque, quod irrita sua verba et vota quibus Vergilium prosecutus esset cecidisse intelligeret, carum demortui caput novo aliquo carmine deflevisse? (1)

II.) Censet deinde, cum nulla exstent testimonia, quibus Vergilium ante annnm 735 in Graeciam se contulisse, vel contendere voluisse, negare possis, nullo iure carmen sine ulla haesitatione anno 735 adscribendum esse.

III.) Iis denique quae a Donato exponuntur carminis « argumentum et colorem » admodum repugnare putat, cum Horatius neque Aeneidis, quae tum temporis antequam ederetur, magna celebritate fuerit, mentionem iniecerit neque totum usque in Asiam iter respexerit.

Quae Frankii argumenta ita deinceps percensebô ut potissimum quid Christius senserit examinem.

I.) Primum igitur argumentum, quod Christius verbo tantum attingere ideo, opinor, supersedit, quod refutatione indignum ei visum sit, parvi aestimandum esse iudico. Nam, si cum Frankio tantopere mirandum sit, quid causae fuerit, qua Horatius anno 735, brevi autemquam odas ederet tempore, defunctum amicum novo aliquo carmine non deploraverit, cur etiam illud admirationem nostram non moveat, quod poeta ne anno quidem 737, cum iterum, sicut a Frankio conicitur, carmina componere instituerit, nec Vergilii nec Tibulli mortes versibus defleverit? Tibullus enim, quem scilicet non minus amavit, cui carmen I. 33 scripsit, non diu post Vergilium exeunte anno 735 vel ineunte 736 de vita decessit. An temporis intervallum quod inter supremum amicorum diem et nova carmina pangendi consilium intercessit tam longum fuit ut demortuorum oblivisceretur poeta?

(1) L. l. p. 64 sq.

Nec, si odarum collectionem (post Vergilii mortem) exeunte anno 735 vel ineunte 736 edidisset, nullisque carminibus, Tibulli vel Vergilii interitus maeruisset, in hominum vituperationes incidisset, « perfidi et cortice levioris amici » nomen accepisset. Nam cum hominibus vehementis doloris quasi faces admotae sunt, ut aliter alius pro insita animi ingeniique indole conflictantur et anguntur, ita diverse ac discrepanter animi maestitiam profitentur: saepissime vero ita afficiuntur, ut non paucis versibus et poeticis nugis sed conticescendo et quasi obmutescendo, quam acerbissimo dolore commoveantur, significent.

Sed omnibus quae Frankio obieci neglectis, si eius sententiam ipsam per se respexeris, parvi, opinor, eam facies, quippe cui, ut aliis e solo poetae silentio ductis argumentis, nisi gravissimis causis adducamur, nimium in constituendis temporibus tribuere necesse non sit.

Quibus de primo notatis ad alterum iam transeo Frankii argumentum.

II.) Censet Christius illud officere quominus de itinere cogitemus, quod Vergilius suscepturum se esse animum induxerit posteaque nihilominus ingressus non sit, quod e verbo « creditum » Vergilium iam navem conscendisse, arguendum sit. Cui opinioni facile accedam, si credere liceat, Horatium profecturo poetae usque ad navem comitem se adiunxisse marisque in ripa stantem ex tempore versus fudisse, vel etiam, postquam eum solventem salvere iussisset, domum rediisse ibique carmen, quo navem portum egressam alloqueretur, composuisse. At si Venusinum reputaveris non promptum et facilem usque ad extemporalitatem Musarum sacerdotem fuisse, sed in fingenda carmine et mente et animo totum institisse, multo etiam verisimilius conicies, non sub ipsa eum Vergilii profectione, sed iam tum cum amicus Graeciam aliquando se petiturum statuisset, ad versus scribendos sese accinxisse, quibus futurum

vatis ab urbe discessum faustis ominibus prosequeretur. Neque verbo « creditum » nimis offendaris velim. Licentia enim, quae poetis conceditur, potuit Vergilius, antequam navi eveheretur, iam ei creditus cogitari.

III.) Iis denique quae Frankius de Aeneidis mentione anno 735 inicienda iudicavit, ita in contrariam partem disseruit Christius ut perspexisse eum negaret « quid inter poetam ingeniosum omnes carminis versus ad unum quoddam consilium dirigentem et grammaticum curiosum omnes res sedulo colligentem interesset. » Equidem contra hac de re Frankio adstipulor, quamvis enim poetam nobis effingere possimus periculorum cogitationi, quibus dilectum Vergilium expositum sentit, omnino intentum (— inde a V. 9 usque ad v. 40 —), eum tamen in hac una contemplatione toto animo ita defixum repraesentare nequimus, ut Aeneidis mentionem omniaque alia quae ad Atticum iter spectarent, tamquam aliena parvique momenti negligere potuerit. Sed de Aeneidis mentione cum infra nobis copiosius disserendum sit, plura verba nunc facere supersedeo.

Quod autem Christius, praeeunte Wanderbourgio, suspicatus est, fortasse Vergilium non anno 735 sed iam anno 734 in Graeciam se contulisse, Vergilianaeque Vitae scriptorem annum, quo poetam mortuum esse invenerit, cum eo, quo Atticum iter ingressus sit, confudisse, id ne flocci quidem aestimaverim. Cur enim tandem ita sibi persuasit? « Quod tam brevi » inquit, « paucorum mensium spatio... tot res vix confici potuisse videantur ». Nimirum nostris diebus vaporis vi celerius quam solis velis ventoque feruntur naves, neque longinqua itinera antiqui tam brevi quam nos intervallo conficere potuerunt. Inde tamen temere colligendum non est, Vergilium annum vel amplius navigare perrexisse. Adde quod Vergilius diu Athenis commoratus non est, sed una cum Augusto ab Oriente revertenti in Italiam rediit. Atque haec hactenus de Christii atque Frankii rationibus.

Iam vero, priusquam quid ipse de aetate huius car-

minis sentiam exponam, quam paucissimis significabo quanti habenda sit sententia a Streubero prolata. (1) Censuit vir doctus Horatium carmen tertium anno 735 composuisse ut incolumitatem precaretur itineri, quod Vergilius in Graeciam suscepit, sed reliquorum carminum syllogae non inseruisse quod tum temporis ea iam emissa esset: saeculo vero VI Vettium Agorium Basilium Mavortium (consulem sine collega anno 527 p. Ch. n. imperante Iustino I) vel quendam alium e grammaticorum numero, qui scripta Horatiana eo tempore crebro recensuerint, locum quem nunc obtinet carmini assignavisse « damit sich der gefeierte Name Vergils an die des Mäcenas (od. I) und Augustus (od. II) anschlösse. » Haec cum legissem paulisper — candide atque aperte confiteor — dubitatione aestuavi et incertus me ipse interrogavi an illius opinioni sine ambagibus mihi accedendum esset. Non nihil Streuberi coniecturae tribuendum esse mihi videbatur, quod in memoriam revocabam Horatii opera crebrius quam aliorum poetarum iam inde a I°: post Ch. n. saeculo et Romae et plurimis aliis locis universi fere orbis a grammaticis tractata commentariisque ornata esse, atque etiam mature Horatianorum operum recensiones a compluribus factas. Animadvertebam etiam non omnes grammaticos, Horatii opera cum ederent, uno eodemque consilio eorum seriem constituisse, unde etiam effectum esse ut integri carminum libri alia in veterrimis ac in recentioribus manuscriptis ratione dispositi sint. Quid denique? intimo sermone inquiebam, si ab integrorum librorum ordine immutando non abstinuerunt, nonne etiam singula carmina e loco quem prius obtinuerint, removere potuerunt? Praeterea longius a veritate non aberrasse idcirco etiam videbatur mihi Streuberus quod optime sciebam Mavortianam recensionem, etiamsi ad omnia Horatii scripta eam pertinuisse non largiaris, sine

(1) In libello *Ueber die Chronologie der horazischen Dichtungen.*

dubio lyrica potissimum amplexam esse. (1) Carmen denique insigni illo loco a grammaticis ea de causa includi potuisse censebam, quod Vergilius (cuius opera iam Augusti aetate Q. Caecilii grammatici jussu in litterarum ludis legebantur) Medio Aevo apud omnes nobili fama atque gloria floruit. Quae gloria ac fama quantopere in dies magis magisque percrebruerit, doctissimi nostri Dominicus Comparettius atque Arcturus Grafius solerti diligentia atque eleganti perspicacitate investigarunt atque monuerunt. (2) Haec omnia igitur cum consideravissem ab omni probabilitate alienam non esse Streuberi coniecturam paulisper duxi.

Ac tamen quominus eam probarem inde potissimum deterritus sum quod cum nulla usquam carmini 3.° Aeneidis mentio iniecta sit, pro certo etiam concludendum nobis statuo, Horatium eo poematio non extremum sed aliud quoddam Vergilii iter optimis ominibus prosecutum esse. Atque eo magis adducor ut Streuberi coniecturam parvi habendam esse putem, quo probabilius mihi videtur, Horatium ipsum in ipso libri exordio tres priores odas eo consilio collocavisse ut suam erga Maecenatem, Augustum atque Vergilium observantiam proderet. (3)

Equidem ergo cum Kiesslingio atque Buechelero (4) consentiens admodum probabile esse iudico carmine 3.° aliam quandam respici peregrinationem quam Mantuanus

(1) Cfr. Kelleri *Epilegomena* 788.

(2) Arturo Graf. *Roma nella memoria e nelle immaginazioni del Medio Evo* Vol. II. 196-259; Domenico Comparetti, *Virgilio nel Medio Evo.*

(3) Ribeckius vero qui tres priores odarum libros anno 731 editos putat, carm. I. 3. coicit a. 736 ortum esse sed ab Horatio tum demum ei quem nunc obtinet loco insertum esse cum praebita occasione syllogam denuo emitteret, quae quattuor coniunctim carminum volumina amplecteretur. (Gesch. der röm. Dicht. II, 141).

(4) Kiessling: *Philologische Untersuchungen* p. 52 sq.; Buecheler, *Coniectanea*, Bonn 1878, p. 14.

vates ante extremum atque fatale vitae suae iter susceperit vel ingredi voluerit.

Meam autem sententiam, pro viribus meis, argumentis confirmare atque fulcire conabor.

I) Ac primum quidem si consideraveris quid sibi Vergilius anno 735 in Atticam profecturus sibi proposuerit, mirum procul dubio atque singulare tibi apparebit, nullam Horatium, ut iam supra dixi, Aeneidis mentionem fecisse, cum et Propertius et Ovidius laudibus eam extollerent, quorum alter cecinit:

Cedite, Romani scriptores, cedite Graii
Nescio quid maius nascitur Iliade,

alter vero:

Et profugum Aenean, altae primordia Romae
Quo nullum Latio clarius extat opus.
Forsita, et nostrum nomen miscebitur istis... (1)

Quamquam Schuetzius affirmat, etiamsi carmen anno 735 adiudicemus, mirandum non esse quod nulla in eo Aeneidis mentio fiat, Horatium enim haudquaquam ut Propertium speravisse Vergilianum poema « maius Iliade » futurum esse, quippe qui et ipse a consilio destiterit celebrandi carmine epico Augusti et Iuliae gentis gesta, atque Vergilium in Sat. I. 10. 43 tamquam poetam qui vitae rusticae amoenitatem describat, Vario, epico poetae opposuerit (. . . forte epos acer — ut nemo Varius ducit; molle atque facetum — Vergilio annuerunt gaudentes rure Camenae). Sed magnopere vereor ut haec tam firma argumentatio sit, qua carm. I. 3 anno 735 abiudicare vetemur, nam, ut illud praetermittam, ex iis quae Horatius de ingenio suo ad epicam poesin parum proclivi praedicat, nullo pacto sequi posse ut etiam Mantuanum vatem sibi effinxerit fa-

(1) Propert. III, 32, 65; Ovid. Ar. Am. III, 337-340.

cultate poetica destitutum ad epicum munus suscipiendum, Horatius tam eximia, opinor, dilexit caritate Vergilium, tanta observantia eum coluit, tam memorem denique in eum animum praestitit inde a die quo ad Maecenatem commendatus vitae suae cursum ad meliora flectere potuit, ut iure colligendum videatur, ingrati eum amici criminationem a se repulsurum non fuisse, si anno 735 ne uno quidem verbo perpoliendam Aeneidem commemorasset. Quae quidem summam omnium civium exspectationem ita concitavit, atque vixdum coepta tanta excelluit fama, ut Donato auctore (30,(45)) Augustus « supplicibus atque etiam minacibus per iocum litteris anno 729 efflagitaret ut sibi vel prima carminis ὑπογραφὴ vel quodlibet κῶλον mitteretur. » Neque meae sententiae adversari censebis versus 43 sq. Sat. 10, a Schuetzio exhibitos, si huius satirae originem atque natales consideraveris. Omnes enim fere interpretes (Kiesslingius, Frankius, Zumptius) uno ore consentientes anno 719 vel 718 eam assignant. (1) Quo tempore Horatius optimo iure Vergilium ut poetam celebrare potuit, qui suavi rerum rusticarum descriptione legentium animos delectaret atque demulceret. Bucolica enim triennio perfecta atque singillatim evulgata (713-715) tam ingenti iam omnium assensu edita erant, ut teste Donato, « in scaena quoque per cantores crebro pronuntiarentur ». (2) Nimirum Horatius, cum anno 719 caneret, gaudentes rure Camenas molle atque facetum adnuisse Vergilio, musae rusticae tantum munera significare voluit atque potuit, siquidem Vergilius anno demum ab u. c. 724 Georgica absolvit, atque circa annum 725 componendae Aeneidi operam dedit. Recte autem ita nos statuisse clarissime appa-

(1) Frankius l. l. p. 106; Kiesslingius in *Hor. editione* II. Theil, Satiren, Berlin 1886 p. 107; Zumptius (anno 718) in *Horatii vita* quae praeposita est Satiris a Heindorfio editis et illustratis (Lipsiae 1843) pag. 35.

(2) Donat 26 (41).

ret ex epistula II. 1, quae multo posteriori tempore litteris est consignata, poeta enim versibus 245-248,

at neque dedecorant tua de se iudicia atque
munera, quae multa dantis cum laude tulerunt,
dilecti tibi Vergilius Variusque poetae,

de intelligentium iudicio disserens, Vergilium atque Varium ut optimos iudices idcirco coniunctim commendavit, quod nobilissimis epicae poesis vinculis una fere congregati consociatique erant.

II) Deinde perquam mirum tibi videbitur Horatium, Aeneidis mentione neglecta (inde e v. 9-40) a primaria sententia aberravisse atque humani generis temeritatem — indeque etiam quodammodo per ambages ipsius Vergilii audaciam — tam copiose et acerbe reprehendisse, si reputaveris ne levissima quidem vituperatione sed egregia laude dignum anno 735 fuisse Vergilium, qui non voluptatis sed studiorum causa navigans nihil aliud nisi ut ultimam Aeneidi suae manum imponeret animum induxerat. Quanto facilius contra singularis istius digressionis sensum enucleare atque expedire poteris si tibi effinges Vergilium vel peragrandi voluptate impulsum, vel ut parum firmae valetudini consuleret, vel alia denique de causa multo antea in Graeciam proficisci statuisse.

III) Tum vero si odam anno 735 adiudicabis atque ad v. 1-3 ep. I. 13. attendes,

Ut proficiscentem docui te saepe diuque,
Augusto reddes signata volumina, Vini,
si validus, si laetus erit, si denique poscet;

quibus Vinius volumina quaedam carminum ad Augustum perferre inbetur, credendum erit tibi, Vinium in Asiam se contulisse, ubi eo tempore Augustus morabatur. Id autem quominus arbitremur, vehementer detinemur verbis « viribus uteris per clivos, flumina, lamas » quae quidem —

quidquid poeticae fictioni atque licentiae concedimus — transmarinam peregrinationem nullo pacto respicere possunt.

IV) Novum autem argumentum ut afferam, quae tandem, quaeso, tam gravis et legitima est causa, qua credere prohibeamur, carmine de quo agimus, aliud iter respici, cuius nulla memoria nobis tradita sit? An veterum scriptorum casus et vicissitudines tam penitus notas atque exploratas habemus, ut iis tantum quae nobis narrata sint acquiescere debeamus? Atque ex ipsius Horatii vita unum exemplum ut afferam, quis tandem ex non modico scholiastarum vel grammaticorum numero navigationem commemoravit, qua poeta in Tyrrheno mari paene « extinctum » se dixit: ?

vestris amicum fontibus et choris
non me Philippis versa acies retro,
devota non extinxit arbor
nec Sicula Palinurus unda.

Extremus autem versus de re ficta intelligi idcirco non potest, quod simul alia non cogitatione depicta discrimina memorantur, sed quae Horatium re vera periclitatum esse vulgo existimant. (1)

Quid denique? nonne Romani, qui liberalioris doctrinae laudem petebant, eum cursum disciplinae emetiebantur, ut studiis Romae exactis, Athenas, quod urbanitatis fere deversorium erat, crebro migrarent ibique commorantes reconditioris humanitatis artibus se excolerent? Atque eiusmodi itinera veterum mori non repugnavisse, non est qui

(1) Quamquam nullo iure contendi posse videtur, naufragium respici quod a Philippis in Italiam rediens fecerit; ex ordine enim in enumerandis periculis servato id tantum colligere licet, Horatium post demum arboris casum et reditum a Philippis incommodo quodam maritimo afflictum esse.

ignoret. Quodsi Vergilius non juvenili aetate (1) ut Ovidius, Horatius, Cicero, alii in Graeciani profectus est, potuit sane aetate firmata illuc contendere. Nimirum quod Athenas anno 735 ut tranquillum portum et refugium delegit, inde nos non temere conicere possumus, poetam eam urbem iam antea perlustrasse, eaque potissimum de causa posterius ceteris civitatibus tutum ut receptum praeposuisse, ubi Aeneidem suam in otio et pace corrigeret.

Quamquam haud ignoro fuisse qui contenderent Donati verba aperte declarare, semel tantum Vergilium, dum vixerit, Athenas petivisse (2), sed si grammatici locum perlegeris neque praeconcepta opinione interpretatus eris, sponte, opinor, animadvertes e Donati verbis tale quid nobis arguere non licere. Itaque haud cunctanter Kiesslingio assentior qui verisimillimum esse putat Vergilium ante annum 735 in Graeciam navigavisse. « Eine derartige Reise » inquit vir doctus, « ist doch wahrhaftig keine Weltumsegelung, sondern für die Menschen der damaligen Zeit und der besseren römischen Gesellschaft etwas ganz Gewöhnliches.» (3)

V) Alia praeterea quaedam perspicuo documento sunt carmen temporis spatio vindicandum esse non longe distanti ab anno quo Horatius lyrica condere instituit (724). Nam et in odae compositione et in sententiarum ordine huius aetatis vestigia reperiuntur; neque enim priores duo strophae apte cum reliquis nexae coniunctaeque sunt, neque a probabilitate alienum videtur poetam ad longam illam de humani generis temeritate digressionem eo consilio deflexisse ut nobile illud Sophocleae « Antigones » canticum — πολλὰ τὰ δεινά — imitaretur. Quocirca probe animadvertisse mihi videntur Kellerus et Schuetzius, (4) hoc in

(1) Ante annum 724 quo Horatius lyrica pangere instituit.

(2) Krawutschkius l. l. p. 16; Christius l. l. p. 9.

(3) *Philol. Unters.* II, p. 53.

(4) Kellerus in *Epilegomenis*, Schuetzius in *Appendice critica*, Horatianae editioni adiecta.

poematio Horatium Graecorum vestigia pressius quam in reliquis secutum esse. Accedit quod etiam in metrorum usu quaedam ab interpretibus notata sunt, quae minorem peritiam atque artem cum prodant, juvenili poetae aetati magis accomodata videntur. (1)

VI) Illud denique te reputare velim, scholiastam quendam ad Verg. ecl. 3.74 adnotavisse Mantuanum poetam in animo habuisse comitem se adiungere Augusto ad Actiaca bella contra Antonium properanti. Etsi enim repugnare nolim, si quis ista temporis spatio, quo Horatius lyricae poesi incubuit, parum convenire affirmet, quandoquidem ecloga, Ladewigio auctore, (2) anno 712 assignanda est, eam tamen vim habere puto ut etiam inde efficiatur Vergilium aliquando ante annum 735 proficiscendi in Graeciam consilium inivisse.

Quae omnia si vere a nobis disputata sunt, tutissime etiam colligere licet, carm. I. 3 ad iter referendum esse quod Vergilius susceperit vel suscipere constituerit, temporis spatio inter annum 724 et 731 interiecto.

Iam vero quaeritur liceatne nobis prioris huius itineris annum accurate atque praecise definire. Hoc nobis concessum esse praefracte negaverim ; — quapropter etiam perperam admodum egisse iudico, qui hunc annum ut tenebris eruerent suisque rationibus ut faverent Donati auctoritatem deminuere atque infringere conati sunt.

Atque imprimis Weberus carmen Vergilio poetae compositum esse concedit, sed Donati narratione neglecta, Christio audacior, non ad annum 734 sed ad annum 732 reicit, statuitque Vergilium anno 732 in Graeciam profectum esse atque integrum triennium (a 732-735) Athenis commoratum

(1) Argumentum scilicet e metrorum ratione depromptum, ut iam alias monui, eo pacto non nihili aestimandum est, ut aliunde ductis gravioribus argumentis auctoritatem addat atque suffragetur.

(2) Cfr. *Virgil's Gedichte erklärt von Th. Ladewig* I. (Berlin 1870) p. 3.

Aeneidem perfecisse. Weberi verba referre iuvat, quo clarius quibus argumentis sententiae suae patrocinium susceperit perspiciatur. « (Nun aber) sehe ich in der That nicht ein, warum uns die in anderweitigen Beziehungen so zahlreiche Absurditäten enthaltende Vita des Donatus gerade in dem hier hauptsächlich zur Sprache kommenden chronologischen Bedenken so sehr beengen sollte. Das letzte sichere Merkzeichen einer nach Italien angehörigen Aufenthaltszeit bei Vergil ist die berühmte Stelle über den damals kürzlich (im Sommer oder Herbst 731) zu Bajä mit Tod abgegangenen Sohn der Oktavia, Marcus Claudius Marcellus, (Än. VIII. 861 fg.) und die Anekdote bei Donatus (12-47) dass Oktavia bei Recitation derselben in Ohmacht gefallen sei. Was sollte uns nun hindern von der vermeintlichen Genauigkeit im chronologischen Detail der letzten Begebenheit Vergils bei diesem geschwätzigen Donatus, einer Genauigkeit, die dies nur scheint, weil sie bestimmte Zahlen (das 52° Lebensjahr und einen vorausbestimmten dreijährigen Aufenthalt) setzt, die ja, wie so unzähliges bei den alten Grammatikern, ganz eigenmächtig erklügelt und aus auf eigene Hand angestellten Folgerungen herausgerechnet sein könne, in so weit abzugehen, dass wir die Abreise Vergils nicht in das Frühjahr 735 rücken (diess ergiebt sich ohnehin bloss aus der Rechnung selbst und wird keineswegs mit bestimmten Worten angegeben), sondern wirklich einen dreijährigen Aufenthalt in Griechenland annehmen, Vergil sei z. B. in Frühjahre 732 dahin abgegangen und dann, als im Sommer 735 August aus dem Orient in Athen eintraf, habe er sich demselben aus dem einfachen Grunde angeschlossen, weil der Zweck seines secessus vollendet, weil die Aeneide, bis gleichsam auf einzelne letzte Pinselstriche, fertig war, weil er sich erschöpft und krank fühlte, weil er auf Italiens Erde sterben wollte?» (1) Vi-

(1) L. l. p. 232 sq.

detur mihi Weberus nimis confidenter sed parum recte Donati testimonio omnem auctoritatem denegavisse, suo vero ipsius commento, ingeniose sane excogitato, fidem augere studuisse. Cur autem tanti stuporis ingeniique tarditatis Donatum criminetur non video. Qui quidem cum scripserit, Vergilium anno 735 Augusto ab Oriente revertenti Athenis occurrise Brundisiique a. d. X. Kal. Octobr. e vita decessisse, Dionis Casii narratione confirmatur, quo auctore Augustus hoc ipso anno a. d. IV. Id. Oct. urbem ingressus est. Atque procul dubio intervallo inter exeuntem Septembrem et ineuntem Octobrem intercluso reliquum Augustus e Brundisio usque Romam iter conficere potuit.

Praeterea Weberus conatur ostendere integrae mentis cogitatones pluris aestimandas quam grammaticorum nugas et fictas narratiunculas. At vero ipsae rationes de carminis tempore ab eo propositae falsa argumentatione nituntur. Nam, eum si audiamus, nihil habuit Vergilius anno 735, cum Aeneis iam perfecta esset, cur in Graeciam secederet. Verum Donatus, cum verbis usus sit « imposuit Aeneidi summam manum » non opus scilicet quod nondum absolutum perficiendumque esset, sed extremum perpoliendi laborem ac ultimam, ut ita dicam, limam, significare voluit. Quod inde etiam comprobatur quod narrant Vergilium cum extrema valetudine brevi mortem se obiturum sensisset, a circumstantibus amicis scrinia expetivisse ut Aeneidem, quam nondum lima satis consectatus esset, combureret. (1) Quodsi poeta continuo triennio, sicut Webero placet, Athenis commoratus esset, atque tranquillo otio penitus Aeneidi intentus fuisset, non tantum opus, opinor, perfectum esset, sed etiam perfecto extrema manus accessisset. Quamquam sine

(1) Gellius XVII. 10: Quae procrastinata sunt ab eo ut post recenserentur, et absolvi, quoniam mors praeverterat, nequiverunt, nequaquam poetarum elegantissimi nomine digna sunt. itaque cum morbo oppressus adventare mortem videret, petivit oravitque a suis amicissimis impense ut Aeneida, quam nondum satis elimavisset, adolerent.

dubio concedendum est Webero, coeptam Aeneidem lente ac paulatim ad finem perductam esse atque anno 732 longe ab ea quam nunc habemus, dissimilem fuisse. (1) Sed hinc minime efficitur Vergilium extremo vitae triennio non in Italia sed in Graecia absolvendo operi se dedisse. Quibus perpensis omnibus, apparet nullo iure Donatum mendacii argui posse. Alios insuper de Vergilii itinere calculos subduxit Weberus. Suspicatur enim fieri etiam potuisse, ut Vergilius anno 732 in Siciliam indeque una cum Augusto in Graeciam contenderit. (2) Verum ut omittam Horatii poematio directum in Graeciam iter respici, hac ipsa coniecturarum ubertate et copia nihil aliud vir doctus mihi quidem ostendere potuit, nisi quod ingenii sui perspicacitati atque ad inveniendum sollertiae nimium inservire studuit. Ac quod sciam nullius nisi Obbarii et Anspachii assensum consecutus est, qui tamen et ipsi pro sua parte in commenticiis coniciendis frustra laboraverunt. Facile sibi persuasit Obbarius, Vergilium intervallo inter annum 720 et 725 interiecto de Attico itinere cogitavisse, cum Georgicis componendis deditus esset, sed Horatiani carminis lectione tam magno instantium periculorum timore perculsum fuisse, ut profectionis consilio abstiterit atque in Italiam inferiorem, vel Tarentum vel Neapolim, contendere maluerit, ubi valetudini consuleret totumque poesi se traderet. (3) At omnibus sane Vergilius, bona Obbarii pace fatebor, ridendi materiem praebuisset, si sola carminis lectione tanto metu affectus esset, ut profectionis consilium abiceret.

Omnia autem quae attulit Anspachius brevitatis causa ita referam ut summas res tantummodo attingam. Censuit vir doctus Brundisii tantum carmen pepigisse Horatium, cum vix credibile sit, eum Romae navem adlocutnm esse, quae

(1) Cfr. quae hac de re disseruit Weberus l. l. p. 231 sq.
(2) L. l. p. 233 annotat. 179.
(3) L. l. p. 11 sq.

e Brundisino portu solvens Vergilium in Atticam perlatura esset. Cum vero constet Horatium anno 717 Brundisii fuisse, facile inde colligendum esse Vergilium comitem fuisse Maecenati in Graeciam naviganti: hoc autem iter Mantuanum neque eo consilio suscepisse ut litteris et studiis se involveret, neque ut amicitiae officia Maecenati praestaret sed ut negotia obiret (quod e v. 9 sq. appareat). Fuisse enim eum tum temporis negotiatorem vel unguentarium neque in meliore conditione quam Venusinum versatum esse qui in carm. IV, 12 — ante annum 716 composito — (!!) tam inopem se esse significet ut amicum gratuito poculis suis madefacere polit. Carmen autem IV. 12 ante annum 716 exaratum, mortuo demum Vergilio in lucem prodiisse, quippe Horatius anno 735 ex emittenda sylloga illud poemation secluserit, quo Vergilium ad praeteritae egestatis cogitationem excitavisset. Potuisse sane Horatium anno 717 « animae suae dimidium » dicere Vergilium, posterioribus vero annis si suavissima illa appellatione eum adlocutus esset, Maecenatis animum offensurum fuisse, cum quo artioribus amicitiae vinculis astrictus fuerit (1) Hoc usque Anspachius! Proh

(1) Anspachius l. l. P. I, p. 20-25.

(2) Anspachius in coniecturis suis omnino fere Schuetzii vestigia pressit qui quidem (l. l. p. 48 et 279) c. I. 3 anno 735 scriptum esse censuit, carm. vero IV, 12 anno 714 compositum atque ad Vergilium poetam missum, cum ille fautorum auxilio (vel Maecenatis, vel Asinii Pollionis) praedium suum Andibus recipere studeret, atque duo carmina librarium quendam loco quem antea obtinuerint per imprudentiam removisse ita ut alterum e libro primo in quartum, alterum e quarto in primum transmigraverit. Quod quidem inde etiam probari opinatur quod e v. 21-25 (carm. IV, 12):

> Ad quae si properas gaudia, cum tua
> velox merce veni: non ego te meis
> immunem meditor tinguere poculis
> plena dives ut in domo.

clarissime appareat odam Horatium summa in egestate atque inopia composuisse — multo ante a. 737 quo lyrica denuo scribere instituerit.

Juppiter! tam ficta haec omnia vir doctus mihi quidem ef frenate cogitavisse videtur ut facere non possim quin excla mem: Poetas, quaeso, ludere sinamus non criticos! Enim vero ista Anspachii commenta tam portentosa sunt ut in digna fere videantur quae argumentis refellantur. Id tantum Anspachium monuisse iuvabit: Horatium anno 716 et 717 satiris et epodis, non melicae poesi, impensiore cura deditum fuisse; deinde verecundo Mantuani ingenio atque candidis moribus ignobilis negotiatoris quaestum admodum repugnare; tum parum verisimile fieri socium in itinere negotiatorem vel unguentarium additum esse a Maecenate, in eligendis amicis omnium cautissimo, qualem nobis Horatius ipse depinxit. Quod denique ad dulcissimam illam spectat allocutionem (« dimidium animae meae »), nullo pacto Anspachius versus oblivisci debuit, quibus poeta iracundia exardescens molestum quendam hominem repellit:

... « Non isto » inquit, « vivimus illic
quo tu rere modo: domus hac nec purior ulla est

At ut praetermittam difficile nobis esse statuere quis tandem e librariis tam imprudens fuerit undeque ista tam singularis in transferendis carminibus negligentia orta sit (praesertim si consideres Horatium ipsum et tres priores et quartum odarum librum edidisse), apertissime elucet Vergilium illum ad quem C. IV, 12 missum est non poetam (quod Ribeckio videtur — l. l. p. 141) sed negotiatorem fuisse. Itaque rectissime Kiesslingius (in Horat. edit. p. 363) scripsit « Der Gast, Virgilius, hat mit dem Dichter der Aeneis nichts gemein — war doch dieser schon 735 gestorben — sondern wird in v. 25 als ein Geschäftsmann charakterisiert, der nach v. 15 und v. 24 in den Häusern der vornehmen Jugend als gern gesehener Gast verkehrt ». Neque difficultates movendae sunt e v. 22 sqq., nam verbis illis ioci et hilaritatis plenis nihil aliud poeta significare voluit nisi se omnibus copiis ut Maecenatem atque alios divites non abundare. Praeterea cum omnibus persuasissimum sit, ut iam supra monui, Horatium post Actiacam demum pugnam (723) impensius melicae poesi operam dedisse, nullam esse causam probabilem concedes cur carm. IV, 12 anno 713 adiudicantes temporis cohaerentiam atque necessitudinem relaxemus, qua cum reliquis eiusdem libri coniungitur.

nec magis his aliena malis; nihil mi officit unquam,
ditior hic aut est quia doctior: est locus uni
cuique suus. » (Sat. I. 9, 48–52)

Omnibus igitur et Weberi et Anspachii et Obbarii rationibus reiectis optimo iure affirmare possumus neque Donati testimonio fidem denegandam neque quidquam aliud nobis colligendum nisi carmen I. 3 ad iter pertinere quod Vergilibs temporis spatio inter annum 724 et 731 intercluso iniverit vel suscipere constituerit.

Utrum tres priores Horatianorum carminum libri uno eodemque tempore an separatim in lucem editi sint.

De huius quaestionis utilitate ita diudicat Frankius: ».. quamquam tam exigui pretii tamque levidense disquisitionis argumentum videri potest, ut, qui huic operam navat, is de lana caprina rixari queat insimulari, habet tamen et ipsum quo commendetur, tum inde quod ad rem Romanorum litterariam cognoscendam aliquatenus facit, tum quod ita aliquanto certius de singulorum carminum natalibus iudicare licet » (1).

Sed in hac etiam causa viri docti inter se dissentiunt. Bentleius enim et Gesnerus unumquemque librum e reliquis seiunctum variis temporibus deinceps editum esse censent. Wanderbourgius autem, praeeuntibus Galliano et Barthio, (2) duos tantum priores libros coniunctim evulgatos esse opinantur, quibus, intervallo aliquo interiecto, tertius accesserit. Quorum opinioni accesserunt Gerlachius, Stallbaumius, Duentzerus, (3) alii. Kirchnerus denique, Frankius, Dillenburgerus, Christius, Schuetzius, Kiesslingius (4) in ea haerent sententia, ut tres priores carminum libros uno eodemque tempore coniunctim emissos putent.

Quid rei sit videamus. De Bentlei commento, quod ab omnibus, utpote a vero longissime abhorrens, reicitur, nihil est cur pluribus te morer. Enimvero nonnulla, quae libro

(1) L. l. p, 53.

(2) Cfr. Kirchneri *quaestionts horatianas*, p. 8.

(3) Stallbaumius l. l. p. LIX; Duentzerus l. l. p. 34.

(4) Kirchnerus l. l. p. 7 sqq.; Frankius l. l. p. 67 sq.; Dillenburgerus l. l. p. 16; Christius l. l. p. 7; Schuetzius l. l. p. XV; Kiesslingius l. l. (*Philol. Unters.* II.) p. 49.

altero continentur carmina exhiberi possunt, quae prius quam alia, libro primo inclusa, composita sint. De reliquarum autem opinionum discrepantia, si meum iudicium requiris, iis adstipulor, qui trium librorum corpus uno eodemque tempore publici iuris factum esse censent. Nam qui aliter iudicant eo tantum innituntur, quod ambo priores libri unum modo prologum unumque epilogum, tertius contra ipse per se suum prologum et epilogum habet. (1) Sed erroris convicti sunt a Kirchnero qui nonnulla carmina (ut III. 8) libro tertio reperiri docuit, quae aliis, libro I. et II; insertis (ut I. 20, II. 13, II. 17) tempore praecedunt. Quamquam Kirchnerus carm. III. 8 anno 734, I. 20 anno 735 vel 736, II. 13 et II. 17 anno 733 assignavit, quae ego probabilioribus calculis subductis, diversis quidem ac ille temporibus adscripsi: carm. III. 8 anno 725, I. 20 anno 726, II. 13 et II. 17 anno 724. Hac vero de causa argumentum quod ille adhibuit haudquaquam infringitur, quippe una eademque temporum ratio inter ea carmina intercedere non desinit. Sed ut carmina addam, de quorum aetate omnium sententiae in unum congruunt, carmen III. 6 anno 726 compositum, vigesimoquarto libri I[i], anno 730 conscripto, tempore praecedit. Deinde ostendit Kirchnerus prologis et epilogis tantum non esse tribuendum, ut propterea potissimum librum tertium a reliquis duobus distrahere necesse sit: inter omnes enim constare, antiquos poetas ut Ovidium, Tibullum, Propertium, multos libellos edidisse nullo vel prologo vel epilogo adiecto, ac rursus alios antiquitatis scriptores (Ciceronem imprimis) complurium voluminum opera simul emisisse ac singulos tamen libros et prologis et epi-

(1) Wanderbourgius sententiae suae praesidium etiam e glossa (ad. c. II. 19) codice V. reperta quaesivit (: « ostendit Horatius suam apotheosin i. e. deificationem s. immortaliitatem famae, quam sibi paravit duos libros carminum conscribendo, dicens se adeo iam affinem factum diis, quod licuit deos videre .... et est totum una oda usque ad « Odi profanum vulgus etc. ») de qua infra disseram.

logis ornavisse. Quare perspicuum esse ait, « nec defect prooemii aut epilogi librum aliquem arctissime cum alter copulari nec singulos libros, quibus utrumque additum, ide cum reliquis coniunctim edi non potuisse. » Quibus a vir docto notatis quaedam alia addere mihi liceat, quae eiu opinionem magis confirment.

I. Primum quidem de necessitudine quae inter carmen. II. 20 et III. 30 intercedere videtur, disseram. Nondum iis, qui in carminis II. 20 originem accuratius inquirere studuerunt, et criticis et interpretibus satis exploratum est, quid potissimum Horatius poematio spectaverit undeque componendi occasionem sibi praebitam arripuerit. Ex Eichstadii sententia (1) carmen habes iocosum urbana festivitate et lepore conspersum! Vir doctus, bona eius pace dixerim, egregie fallitur. Neque enim Horatius in epilogo integros libros concludenti, gravitati, qua futuram perennemque gloriam sibi vaticinatur, iocos inepte miscuisset, neque ludicro poematio fingendo Alcaicum aliis metris praetulisset. Ita secus iudicavit Dillenburgerus (2) qui Horatium censet carmen iuvenili aetate, cum a Maecenate vocatus esset, composuisse. Putat enim hac sola ratione verba « quem vocas » recte explicari posse, atque carmen « documentum » esse « voluptatis » qua perfusus ille se sentiret, quod tanti viri amicitia et usu dignus haberetur, Verum, ut praetereum, quod eo tempore Horatius vix gloriae spatium decurrere coeperat, nec tantam sibi famam iam paraverat, ut haud vana sui aestimatione tam insignia de futuro suorum versuum nomine ac laude praecaneret, cum ipso Maecenate nondum fuit tanta amicitia coniunctus, ut « dilecte » eum « Maecenas » alloqueretur. Alia insuper a Duentzero adlata sunt, quibus Dillenburgeri opinionem omni probabilitate destitutam esse ostendit, quae, ne longius a proposito decli-

(1) Cfr. Eichtadii, *Paradoxa Horatiana*, I, p. 4-12.
(2) In *Horatianis quaestionibus* p. 74 sqq.

nem, enumerare supersedeo. (1) Sed Duentzerus et ipse parum verisimilia de hoc carmine excogitavit. Scribendi enim opportunitatem ex arboris lapsu, qui Horatium in praedio suo paene eliserat, oblatam esse putat: Maecenatem acerbo dolore affectum, quod amicissimi Horatii vita periclitata esset, instanter eum cohortatum esse, ut sui nominis immortalitati prospecturus carminum quae conscripserat promptam syllogam in vulgus emitteret. Haec Duentzerum ad arbitrium coniectavisse, omnibus qui attente rem spectent, perspicuum fore spero, ideoque argumentorum subtilitate ea refellere detrecto. Neque verborum « quem vocas » quae adhuc a nemine, meo iudicio, probabiliter explanata sunt, minus arbitraria est interpretatio a Duentzero proposita. Censet enim ea unum idemque valere ac « quem incitas ut sempiternae poeticae gloriae provideat » Quomodo autem in miram istam de carminis origine cogitationem inciderit non satis intellego.

Omnibus vero coniecturarum novitate praecurrit Peerlkampius. Qnem si audiamus, Horatius carmen concinnavit extremo vitae die, paulo ante mortem « quam ipse sibi conscivit, fortasse veneno » versiculisque componendis se concitavit, nt voto carm. II. 17 defuncto Maecenati expresso:

ibimus, tbimus
Utcumque praecedes, supremum
Carpere iter comites parati (v. 10–13)

se liberaret et certa immortalitatis spe se consolaretur. Nimirum illud in interpretatione sua parum videt Peerlkampius, poetis tantum in fingendis vel illustrandis fabulis, non vero eruditis in critica arte exercenda ludendi libertatem concessam esse. Sed quanto diligentius discrepantia illa a criticis prolata comparaveris, eo minus veram carminis indolem occasionemve perspicies, eoque facilius fortasse ad-

(1) L. l. p. 30 sqq.

duceris ut suppositum quoddam et imitatione e carm. III. 30 expressum nobis traditum esse putes. Sic Lehrsius interpolatoris ineptum opus fuisse affirmavit, Gruppius vero servatis primis duabus strophis reliqua reicit. At Christius nonnullas partes in Horatianis scriptis depravatas vel ab interpolatoribus additas largitur, integra tamen carmina supposita esse negat. (1) Schuetzius contra Lehrsio adstipulatus totum carmen in suspitionem vocat. « Das Gedicht» inquit, ist gewis eiu höchst armseliger Doppelgänger von dem Schlussgediete III, 30 ». Equidem, nisi Horatio omnino abiudices, verisimillimum te habere velim, carmen ingenii lusum fuisse: poetam aliquando de carminibus suis futuro tempore edendis cogitantem odam pepigisse. posterius vero, cum tres priores libellos emiserit, extrema alterius libri parte idcirco eam collocavisse, quod haud spernendam clausulam esse iudicaverit. Ac re vera carm. III. 30 et sententiarum sublimitate magnopere carmini II. 20 praecellit et eximium quoddam suoque genere singulare agnoscitnr, quo poeta clarius et splendidius quam carm. II. 20 de sua cum poesi necessitudine nos edocuit.

Iam vero si consideres insigne illud vaticinium, quo versus suos monumentum fore significat « aere perennius » vix ad sola carmina libro III. inserta pertinere posse, sponte etiam concedes, carmen III. 30 idoneum videri, quod non unius sed trium voluminum poematia concluderet. Atque opinioni quam defendo minime refragari mihi videtur quod Duentzerus scripsit, carmen I. 1 et II. 20 artius ut prologum et epilogum eiusdem collectionis inter se coniungi, quod in utroque de Maecenate verba fiant. Nam etiam carm. I. 1 et III. 30, cum uno eodemque metro composita sint, recondito quodam vinculo inter se coniungi contendere possim. Praeterea addit Duentzerus, Horatium carm. II. 20 loco quem nunc occupat, assignaturum non fuisse, nisi

(1) L. l. p. 8.

ut verum epilogum collocavisset. At nimirum ingenii etiam infirmitatatem prodidisset poeta, si libro tertio separatim emittendo epilogum scripsisset, qui prioris syllogae non multo antea editae epilogum redoleret. Id vero facilius poetae ignoscere poteris, si probabilius conieceris, aliquando eum nullo certo consilio odam (II. 20) lusisse, quam, tum, cum trium librorum corpus evulgaret, excludere noluerit, ideoque eo loco, quo medium carminum quasi agmen clauderet, inseruerit.

II.) Deinde glossa a Wanderbourgio laudata tantum non valet, ut id quod ego defendo infirmet. Nam liber manuscriptus, unde depromta, inter recentiores annumeratur scholiastaeque auctoritas, qui duo seiuncta carmina unum tantum efficere censuit, levis admodum fideque indigna esse cernitur.

III. Illud denique te reputare velim, quamvis a Suetonio diserte non declaretur, tres priores libros coniunctim in lucem prodiisse, cuivis tamen in iis verbis legendis quasi αὐτομάτως hanc cogitationem animum subire, tres priores libros corpus quoddam integrum efficere quod libro quarto opponatur. (« Scripta quidem eius usque adeo probavit (Augustus) mansuraque perpetuo opinatus est, ut non modo saeculare carmen componendum iniunxerit, sed et Vindelicam victoriam Tiberii Drusique privignorum suorum, eumque coegerit propter hoc tribus carminum libris ex longo intervallo quartum addere. . . . »).

Quibus temporibus tres priores Horatianorum carminum libri atque prior epistularum confecti et publici iuris facti sint.

De tempore quo Horatius lyrica fingere exorsus sit satis inter se discrepant doctorum virorum sententiae. Quidam enim anno 724 tamquam limite constituto ultra quem egredi non liceat, nullum carmen priori intervallo assignandum esse censent. Quorum in numerum referendus est imprimis Stallbaumius qui ita se iudicavisse fatetur, quod « nullum usquam carmen reperiatur quod manifestas habeat superioris alicuius temporis notas, ut si quae iam antea scripta putantur eius opinionis caussae non in certis rei argumentis sed in mera mentis suspicione posita sint.» (1) Alii contra, praecipue Kirchnerus et Weberus complura carmina multo prius exarata esse opinantur. (2) Christius vero quid hac de re senserit, non significavit, credo tamen adstipulatum eum esse Frankio, qui quidem inter dissentientes ceterorum opiniones mediam quandam eamque optimam viam secutus est. Largitur enim unum alterumve carmen ante annum 724 compositum esse, handquaquam tamen infitiandum esse affirmat, Horatium post annum demum 723 impensiori opera melicae poesi intentum fuisse, quin etiam « absolutis pervulgatisque Sermonum et Epodon libris, huic soli. » (3) Recte id perspexisse videtur. Verisimile enim fit, ut mutatis temporibus non minus Horatii vita commutata sit. Videlicet animi aegritudinem ex pristinis bellis civilibus contractam, paulatim tantum abstersit, et complurium

(1) L. l. p. LVIII.
(2) Kirchnerus l. l. p. 5, 8, 31; Weberus l. l. p. 139 sq.
(3) L. l. p. 53.

amicorum, imprimis Maecenatis benevolentiam cum experiretur, et « Sabinorum » suorum in secessu liberrimo cum ruris et litterarum otio perfrueretur, pacem demum animique tranquillitatem nactus est ad melicam poesim colendam maxime necessariam.

De tempore autem, quo Horatius elaborata absolutaque carmina publici iuris fecerit, non minor est inter criticos viros opinionum dissensio. Quorum de sententiis ut rectum liberumque iudicium adhibeatur, antequam eas percenseam, alia quaedam ad rem pertinentia praemisisse iuvabit.

Quinque exstant Horatianae epistulae libri I, 1:[a], 5:[a], 13:[a], 19:[a], 20:[a], e quibus, in universum quidem, et de aetate, qua Horatius lyrica scribere desierit ediderit que, et de ratione inter tempora carminum et epistularum (libri I.) intercedente existimare liceat. Quarum epistularum vigesimam, ubi haec leguntur:

Forte meum si quis te percontabitur aevum
Me quater undenos sciat implevisse Decembres,
Collegam Lepidum quo duxit Lollius anno,

Frankii, Weberi et Chistii ([1]) opinioni accedens, totius libri epilogum habendam et reliquarum omnium postremam scriptam esse arbitror. At Orellius, Grotefendius, Kirchnerus, Massonus, alii de eius origine in alia omnia discedunt. ([2]) Cum enim propter laudatos versus, qui ad consulatum a M. Lollio et Q. Aem. Lepido gestum spectant, epistulam 20 anno tantum 733 assignandam esse censuissent nec eos sane praeteriisset, librum priorem plures alias epistulas complecti, evidenter anno demum 734 litteris consignatas,

(1) Cfr. Frankium l. l. p, 74; Weberum l. l. p. 220 et 310.

(2) Kirchnerus l. l. p. 36 sq., § 64-66, Grotefendius in *Hor. vita* (Encycl. litt, ed. ab Erschio et Grubero v. 10 472 b et 475 a; Massonus in *Vita Hor.* p. 459; O. Muellerus in opusculo. *Ein Begleitschreiben des Horaz zu seinen Sermonen* p. 7.

in summas angustias adducti sunt, quod sibi explicare nequiverant, quo fieri potuisset, ut libri epilogus sive clausula aliis eiusdem libri epistulis tempore praecederet. Qua difficultate ut elaberentur, epistulam vigesimam prioris libri epilogum fuisse negaverunt ac de eius scribendae opportunitate alius alia ad arbitrium suspicati sunt. Nam Massonus ad aliud quoddam volumen, quod anno 733 vel proxime subsecuto evulgatum fuerit, eam pertinere vult, Sanadonus vero nuperque Muellerus, Satiris veluti praefationem praefixam, Kirchnerus denique epodon libro tum temporis emisso tamquam comitem additam sibi persuasit. Sed quas tandem tam graves rationes afferri possunt, propter quas Satirarum et Epodon editionem ad seriorem illam aetatem reiciendam esse putes?

Poetam ait Kirchnerus ab epodis evulgandis abstinuisse, donec ira et odium, quae versuum aculeis in se convertisset, deferbuissent ac nonnulli eorum quos punxerat, veluti Canidia, Maevius, emortui essent. Verum si quisquam alius, neutiquam Kirchnerus hoc argumentum adhibere debuerat, quippe qui falsis Bentleii indiciis improbatis multo probabiliora de ratione protulit, qua Horatiana scripta percrebruerint et divulgata sint, ostenditque iam diu ante communem cuiuslibet syllogae editionem, singula poematia per oblatam occasionem in Romanorum civium manus pervenisse. Quodsi singuli epodi iam diu in vulgus pervagati atque singulae satirae omnium manibus iam diu tritae erant, nihil sane fuit, quod poetam ab illis in librum redigendis edendisque abstrahere posset. Quod autem Duentzerus scripsit (1), epistulam vigesimam ea de causa epodis adiungi non potuisse, quod Horatius si prooemio quodam ad eos legendos aequalium animos praeparare voluisset, versiculos et argumento et metrica forma ita comparatos scripturus fuisset, qui isti consilio magis convenirent, id

(1) L. l. III, p. 66.

Kirchneri sententiae nihil officere opinor. Nam epistula quoque 13.ª, quamvis metro diverso composita, carminibus tamen Augusto per Asellam tradendis veluti comes adiecta est.

Quin etiam sermonis festivitas epistulae vigesimae ab colore epodon peculiari plane aliena non fuisset. Illud potius Kirchnerianae coniecturae prorsus repugnare existimo, quod epodi iam diu ante annum 733 publici iuris facti sunt, epistula vero vigesima extremum in reliquarum serie locum obtinuit. Enimvero, licet nobis de ratione, qua ipse poeta scripta sua digesserit, nihil cognitum exploratumque sit, omnes tamen opinor, qui sapiunt, in eo convenient, neminem sive grammaticum, sive Horatii editorem, tam ineptum stultumque hominem futurum fuisse, qui epistulam vigesimam ad arbitrium eo loco collocaret, ubi non epodon sed epistularum libri epilogus haberetur.

Tam futiles autem et ineptae, quas de epistulae vigesimae occasione defenderunt opiniones, inde ortae sunt, quod ad veram vocabuli « implevisse » significationem, quod etiam ad annum 734 referri potest, parum attenderunt. Primus id animadvertit Frankius (1) statuitque poetam epistulam composuisse anno aetatis suae 45.°, vel decembri anni 733 vel anno demum 734 sed ante a. d. VI. Id. Dec., ideoque priusquam 46 aetatis annum iniret. Cum igitur pro certo habendum sit, epistulam vigesimam ut epilogum reliquis anno 734 adiectam atque non diu post exaratum epilogum integrum volumen emissum esse, efficitur etiam priorem epistularum librum ante a. d. VI Id. Dec. anni 734 in lucem prodiisse.

Quin etiam fortasse menses illius anni accuratius designare licet. Versibus enim epist. I, 5, 9-12.

> . . . cras nato Caesare festus
> Dat veniam somnumque dies; impune licebit
> Aestivam sermone benigno tendere noctem

(1) L. l. p. 75.

Augusti natalis commemoratur in diem a. d. IX. Kal. Oct. incidens, qui senatus consulto inde ab anno 723 vel 724 post Actiacam victoriam tamquam festus habitus, sed praesertim anno 734 sollemniter celebratus est. Huius igitur epistulae versus cum ad Augusti natalem anno 734 celebratum spectare videantur, sequitur etiam ut epistulae mense Octobri vel Novembri eiusdem anni editae sint. Quamquam, Obbario, Christio et Krawutschkio auctoribus, (1) Horatius ea temporis nota, quae epistula vigesima legitur, nominum numeralium et propriorum angustiis coactus, qua aetate prioris libri epistulas scripserit « magis adumbravit quam definivit » epistulamque vigesimam anno demum 735 vel 736 litteris consignavit. Sed omnia quae hac de epistula illi proposuerunt, tantam ea vim non habent, ut epistularum editionem ad seriorem annum reiciendam esse statuas.

Nunc igitur, quod omnium verisimillimum est, teneamus, epistulas libri I epilogo instructas ante diem Horatii natalem anni 734 emissas esse.

Epistula vero 13.ª ad Vinium Asellam missa est, Horatii villicum vel rusticum quendam hominem ex vicinitate villae Sabinae, qui tabellarii munus saepius fortasse obierat. Praecipit in ea poeta faceta hilaritate nuntio suo, cui « signata volumina » (v. 2.) ad Augustum perferenda tradiderat, quomodo tanto viro porrigenda sint. Nimirum fieri etiam potuit, quod plurimi opinantur, ut epistula ingeniose ficta et fasciculis tantum Augusto missis per iocum addita sit. Sed utcumque ea res se habet, unum nunc intellegere refert, quid tandem Horatius « signatis voluminibus » respexerit. Carminum quidem corpus iis significari nemo facile infitias iverit. Enimvero neque de satiris cogitandum

(1) Cfr. Christium l. l. p. 22; Obbarium in epil. ad epist. I. 20, vol. 2, p. 558 sqq. et in diario *Neue Jahrbücher* inscripto 15, 69; Krawutschkium l. l. p. 4 sq., 10 sq. Diu ante Christium eadem defendit Duentzerus l. l. p. 67.

— siquidem v. 17 diserte « carmina » appellantur, minimeque pluralis numerus (« signata volumina ») satirarum libris convenit, qui consentienti virorum doctorum iudicio, (1) non uno eodemque tempore sed separatim spatio quodam interiecto editi sunt — neque rursus de epodis est cogitandum, quippe tum temporis iam evulgati erant; ac « librorum » et « voluminum » nomina (v. 2, 4, 13) parum iis respondent. Optime autem verba « fasciculus librorum » in tres priores odarum libros non in singula selectaque carmina quadrant. Iam vero cum epistulam 13.am procul dubio ante epilogum, sive totius libri ultimam, scriptam esse putandum sit, efficitur etiam, tres priores carminum libros ante epistulas libri I in lucem prodiisse.' (2)

Huc usque Frankius aliique in universum quidem consentiunt. Omnes enim carmina ante epistulas emissa esse affirmant. (3)

A rerum vero scriptoribus cum memoriae proditum sit, Augustum inde ab auctumno anni 732 usque ad auctumnum anni 735 ex Italia abfuisse, censet Frankius satis probabiliter statui posse, Horatium carminum syllogam non absenti Augusto aliisque negotiis distento, sed ante susceptum iter in Italia commoranti misisse. (4)

Christius autem aliique qui praeter carmen Vergilianum (I. 3) nonnulla alia reperiisse crediderunt post annum 731 stilo signata, carminum etiam editionem ad primum ver anni 735 vel 734 reiciendam esse censuerunt. (5)

Nunc est igitur mihi propositum quae in contrariam

(1) Cfr. Frankium l. l. p, 35 sqq.; Kiesslingium in Hor. edit. P. II p. 10 sqq.

(2) De Epistulis I, 1 et I, 19 paulo inferius disseretur.

(3) Solus Nowotnyus falsissime coniecit poetam uno eodemque anno et carmina et epistulas edidisse.

(4) L. l. p. 68.

(5) Cfr. Christium l. l. p. 19 et 25; Campium l. l. p. 129–142; Nestlerium l. l. p. 16; Nowotnyum l. l. p. 20; Krawutschkium l. l. p. 24; Anspachium l. l I, p. 5.

partem disceptata sunt inter se conferre iisque quae probabiliora mihi videantur, pro viribus fidem augere.

Tribus argumentis ad suam sententiam confirmandam usus est Frankius, quae paucis quidem statim commemorare refert.

I) Primum quidem contendit vir doctus fortissimis rationibus evinci nequire ullum carmen tribus prioribus libris comprehensum post annum 730 compositum esse. (1)

II) Affirmat deinde quaedam magnopere dehortari ne editionem posteriori tempore perfectam esse statuas. *a*) Primum enim opinatur totam Horatii poesin lyricam recte amatoriam et dici et haberi posse: quare nihil verisimilius videri quam ut poeta, cum quadragenarius, corpore menteque, sicut ipse fatetur, immutatis, amare desierit, lyrica etiam pangere intermiserit. (2) *b*) Deinde si libros anno 730 vel 731 emissos putes facilius quae a Suetonio et scholiastis traduntur explicari posse, quibus auctoribus Horatius anno 739 ab Augusto impulsus est, ut tribus prioribus carminum libris ex longo vel maximo intervallo quartum adderet. (3) *c*) Tum carmina in Murenae honorem scripta, qui anno 732 cum Fannio Caepione in Augusti caedem conspiraverit, (4) e reliquorum corpore poetam, si post annum 732 edidisset, exempturum fuisse, ne oppressam coniurationem in Maecenatis et Augusti memoriam revocans graviter eos offenderet. (5) *d*) Librorum denique editionem ad annum 735 vel 736 proferri nequire, quod nusquam in iis versus quis reperiatur, quo defunctos Marcellum (732), Vergilium (735) Tibullum (735-736) defleverit. (6)

(1) L. l. p. 62.
(2) L. l. p. 57-62.
(3) p. 62.
(4) Murenae coniurationem non in annum 732 sed in annum 731 incidere paulo inferius monebo.
(5) L. l. p. 62.
(6) p. 63 sqq.

III). Versus denique ex epist. I. 19 (32 sq.) atque ex epistula I. 1 (v. 1-13) proponit, e quibus effici opinatur, iam diu Horatium ante annum 735 lyrica ad finem perduxisse.

Jam singula recenseamus.

I) Primum quidem quod singulorum carminum dubiam aetatem attinet, quae Frankio auctore ante annum 731, ex Christii vero aliorumque sententia proxime subsecutis concinnata sunt, ad ea lectorem delego quae supra pluribus disserui. Mei autem iudicii summam ut commoneam, quamquam Frankio ubique adstipulatus non sum, saepius aliam argumentandi viam secutus, in universum tamen si a carmine I. 12 discesseris, quod mihi quidem anno 731 exaratum esse videtur, magis illius quam aliorum rationes probavi, ut etiam ex iis, quae pro mea parte attulerim unum idemque colligendum sit, nullum carmen posteriori tempori assignandum esse. In propatulo enim est, quaeque poeta de Parthicis rebus scripserit ab antiquis interpretibus et saepius etiam a quibusdam recentioribus temere ad annum 734, a Frankio vero, Lachmanno, Webero, aliis, multo rectius ad annos 724, vel 725 vel 729 referri. Una eaque sane non exigua difficultas Frankii meisque calculis oboritur e carm. I. 3. Verum si consideres, nullo alio e reliquis carminibus indicia reperiri, quae, ad annum 735 spectare videantur, atque aliis de causis satis probabiliter evinci posse iam antea carmina publici iuris facta esse, animadvertes etiam proxime ad veritatem me accessisse, cum iudicaverim illud poemation non ad extremum iter atticum sed ad aliam peregrinationem pertinere quam Vergilius temporis intervallo inter annum 724 et 731 interiecto iniverit vel ingredi constituerit.

II). Sed ad reliqua argumenta excutienda ut transeam, ab iis exordiar quae Frankius de lyricae poesis indole censuit. *a*) Omnes opinor, sanae mentis homines primo quasi obtutu agnoscunt perperam credidisse Frankium totam Horatii poesin lyricam et dici et haberi posse amato-

riam. « Quamquam » inquit doctissimns vir, « permulta sunt poemata, in quibus ad graviora et severiora argumenta assurrexit poeta, haud scio tamen an vel ex diverso pretio (quam amatorio) propria Horatianae poesis indoles cognosci aestimarique et possit et debeat ». (1) Huic antem plane arbitrariae sententiae fidem ut augescat, complures e poetae carminibus locos affert (III 26, 1; IV. 1; I. 6. 17; I. 19, 9; II. 12. 14; III. 1.37; III. 3,69; III. 12.3; II. 16.38; IV. 15) monetque Horatium Alcaei preecipue et Sapphus vestigiis institisse, quin etiam disertis verbis professum esse, nihil aliud se cum carmina fingeret, sibi proposuisse quam ut « iocos, Venerem, convivia, ludum » (ep. II. 5.56) et « iuvenum curas et libera vina » referret. Verum ut mittam quod ipsi Alcaeus et Sappho praeter amatoria alius quoque generis carmina composuerunt, ex ipsis locis a Frankio laudatis plane contrarium elucet, Horatium et levioris et gravioris argumenti carmina pepigisse alteraque ab alteris bene distinxisse. Nam exempli gratia carmen primum libri quarti, quo valde miratur poeta Venerem sibi, quamvis aetate provecto, novum amorem iniecisse, nihil aliud significat nisi tempus iam adesse, quo minus amatoria quam gravioris argumenti carmina tractaturus sit. Ac re vera libro quarto tria sola amatoria continentur, plurima reliqua ἐπινίκια sunt in Augusti eiusque privignorum honorem composita. Praeterea prioribus etiam libris permulta inveniuntur severioris generis carmina, sive documenta amicitiae cum aequalibus contractae ac patriae illius caritatis, qua ductus et veterum disciplinam egregie commendavit et enervis aetatis suae corruptos depravatosque mores vehementer reprehendit, fortissimosque maiorum duces et sui temporis cives virtute praestantes eximiis laudibus celebravit. Neque ex eiusmodi versibus

(1) L. l. p. 59.

Sed ne relictis, musa procax, iocis
Ceae retractes munera naeniae.
Mecum Dionaeo sub antro
Quaere modos leviore plectro (c. II. 1.37 s.qq)

Non haec iocosae conveniunt lyrae :
Quo Musa tendis? Desine pervicax
Referre sermones deorum et
Magna modis tenuare parvis (c. II. 3. 69 sqq.)

quibus epica vel ad res publicas pertinentia carmina concluduntur, id quod Frankio placet efficitur. Clausulae enim sunt Horatio potissimum dilectae, quibus saepius candida quadam simplicitate, at insigni tamen artificio usus, modestus minimeque ambitiosus videri vult. Quid si reliqua poetarum cohors, qui Augusti temporibus viguerunt, etiam atque etiam conqueruntur, vix tanta ingenii poetici facultate se valere, ut res praeclaras a principe gestas decore canere possint, sed dum praeconis munus detrectare videntur, mira eaque callidissima arte in maius principem extollunt? Horatius quoque e poetarum numero se ipsum exclusit, ac tamen non exigua gloria adhuc floruit sempiternaque florebit.

Quod vero Frankius addidit, etiam hoc nomine veram Horatianae poesis indolem perspici posse, quod ἐρωτοπαίγνια, quibus amoris voluptates et gaudia praedicantur, nativo quodam lepore et suavitate conspersa sint, « ita ut recluso veluti pectore poetam talia spirasse, immo totum in illis fuisse sentias », ita ut perfectissimis poematiis ab artis Horatianae peritis annumerentur, reliqua contra carmina frigida sint, « extorta magis quam libera poetae voluntate et proprio impetu orta » (1) — haec omia virum doctum sibi tantum persuasisse cupio. Scilicet variae sunt pro unius-

(1) L. l. p. 59.

cuiusque animo sententiae, aliterque ab aliis pro iudicii elegantia et sanitate Horatiana carmina aestimantur: fuerunt etiam qui recte fortasse opinarentur, suopte ingenio Horatium magis ad hilariorem quam ad graviorem poesin colendam proclivem fuisse. Nihilominus vix negari potest summa eum artis peritia sex prioribus libri tertii carminibus perfectum omnibusqne numeris absolutum opus edidisse et egregium severioris Musae sacerdotem se praebuisse. Nimirum neque pari ac Pindarus poeticae laudis fastigio stetit, neque omnia quae lyricae poesi proponuntur argumenta attigit (1): nihilominus tam penitus, ut ita dicam, nugis componendis deditus non fuit, ut tota eius poesis lyrica amatoria haberi possit. Argumentum igitur a Frankio ex ipsa carminum natura ductum, cum evidenter in falso de lyricis Horatianis iudicio positum sit, diiudicandae controversiae parvo adiumento esse perspicitur.

b) Ad Suetonii nunc verba transeo, qui Horatium ab Augusto compulsum esse affirmat ut tribus libris prioribus ex longo intervallo quartum adderet. Liber quartus anno 741 in lucem prodiit, Scholiastarumque testimonio, Augusti hortatu, non « ex magno » sed « ex maximo intervallo » prioribus adiunctus est. Quamquam si integre incorrupteque iudicare velis, facere non poteris quin largiaris, etiam iis, qui, sicut Christius, Campius...... reliqui, librorum editionem ad annum 735 vel 736 proferunt, quinque vel sex annorum intervallum relinqui, quod « longum » vel « maximum » appellari potuerit. Concedendum tamen erit, Suetonii et Scholiastarum narrationem temporis spatio a Frankio proposito magis convenire (Christius hac de re silentium obtinuit).

(1) Cfr. ipsa *Horatii verba* in ep. ad Pis. 83-86

Musa dedit fidibus divos puerosque deorum
Et pugilem victorem et equum certamine primum
Et iuvenum curas et libera vina referre

c) Progredior nunc ad carmina in Murenam composita. Carmine III. 19 Horatii sodales ad convivium συμβολιμαῖον (ἔρανον), in Murenae novi auguris honorem habendum, invitantur, carmine vero II. 10 « ad Licinium » dato, aurea mediocritas laudibus celebratur. Quibus carminibus si unus idemque Licinius Varro significatur, qui (Frankio auctore) anno 732 cnm Fannio Caepione contra Augustum coniuravit, verisimillimum etiam videtur, quod Frankius praeeunte Wanderbourgio defendit, Horatium duas eclogas post annum 732 ex emittenda sylloga remoturum fuisse.

Quod argumentum a quibusdam parvi ducitur, ab aliis aliis rationibus impugnatur. Ita, censet Stallbaumius carmine III. 19 non Licinium Murenam sed patrem eius Proculeium respici, cum nullum illius muneris a Licinio administrati testimonium afferri liceat. (1) Verum, etiamsi id fieri potuisse cogites, carmen tamen II. 10 exstat, ubi diserte legitur « Rectius vives Licini » quod carmen ex Frankii coniectura post annum 732 e reliquorum communione seiungendum erat. Scilicet Porphyrione et Cruquio auctoribus oda inscripta est « ad Licinium Crassum », quare etiam de Horatii amico e Lucullorum vel Crassorum gente quidam cogitaverunt. Nihilominus cum plurimi codices « ad Licinium Murenam » tueantur, in iisque, qui « ad Valgium Licinium » exhibeant, eiusmodi inscriptio grammaticorum errore cum superiori carminis noni (« ad Valgium ») confusa videatur, dubitandum non est, quin Licinii allocutio ad solum Murenam Varronem spectet. Censet igitur Frankius, nihil aegrius laturum fuisse Augustum quam ut ipsius iuxta Murenae laudes ab Horatio ponerentur, nec minus Maecenatem, qui Terentiam Licinii sororem uxorem duxerat, indignaturum, quod illius calamitatis intempestivam mentionem faceret. Atque Frankii opinioni adstipulatur Kiesslingius, ita tamen ut ex Fastis Capitolinis Murenae

(1) L. l. p. LXI.

coniurationem non in annum 732 sed in extremum 731 incidisse concludat. (1) Quamquam Dio Cassius hanc coniurationem rebus anno 732 gestis annumeravit: cum reputem tamen huius scriptoris auctoritatem ea conditione plurimi habendam esse, ut quae ab illo narrantur et aliorum scriptorum testimonio et veterum inscriptionum fide confirmentur, libenter Kiesslingio accedens, Murenae coniurationem anno 731 detectam esse iudico. Quanti autem momenti sit recte hoc statuere, nemo est qui non intellegat, cum plurimum id pertineat ad tempus definiendum, quo carminum volumina in lucem prodierint. Teuffellius vero et Christius aliter de re statuerunt. Quorum alter — Teuffellius — his verbis in contrariam partem utitur: « In Betreff der Gedichte über und an bestrafte Hochverräther, musste Augustus einsehen dass ihre erneuerte Bekanntmachung seiner Sache keinen Schaden, wohl aber Nutzen bringen konnte, dass mit dem Andenken an Sie auch die Erinnerung an die Bestrafung aufgefrischt würde. » (2) Christius vero « plurimum » inquit, « interesse, utrum Murenae honorificam mentionem carmine post conspirationem eius detectam scripto Horatius fecerit, an carmina dudum composita et in circulis amicorum circumlata ex sylloga

(1) Während in der literarischen Fastenüberlieferung als Consuln des Jahres 731 ausnahmslos Augustus und Cn. Calpurnius Piso genannt werden, zeigen die Reste der inschriftlichen Fasten, dass Augustus das Consulat zunächst mit A. Terentius Varro Murena zusammen antrat. In Augusts Stelle trat Sestius, des Murena Nachfolger ward Piso. Wie das letztere gekommen, ist freilich auf dem Steine nichtmehr zu lesen: das Erhaltene .... est in e(ius) l(ocum) f(actus) est [Cn. Calpurni]us Cn. f. Cn. n. Piso lässt sich aber füglich nicht anders al zu – [in mag(istratu) mortuus] est ergänzen. Somit fällt, wie schon Henzen (C. I. L. p 450) gesehen, die Verschwörung und das tragische Ende Murenas noch in die zweite Hälfte des Jahres 731 » (Kiessling l. l. pag. 56 sq.)

(2) In *Prolegomenis ad Horatianam chronologiam* p. 1113, Zeitschrift f. Altertumswiss. 1842 p. 1103-1116.

carminum non secluserit. » [1] Qua in discrepantia opinionum, antequam iudicium meum proferam, quaedam commemoravisse iuvabit quae apud Suetonium, Dionem et Tacitum inveni. Atque imprimis Suetonius haec tradit: « Clementiae civilitatis eius (Augusti) multa et magna documenta sunt. Ne enumerem quot et quos diversarum partium, venia et incolumitate donatos, principem etiam in civitate locum tenere passus sit; Junium Novatum, et Cassium Patavinum, e plebe homines, alterum pecunia, alterum levi exsilio punire satis habuit; quum ille Agrippae iuvenis nomine asperrimum de se epistolam in vulgus edidisset: hic convivio pleno proclamasset: « Neque votum sibi neque animum deesse, confodiendi eum. » Quadam vero cognitione, quum Aemilio Aeliano Cordubensi inter cetera crimina vel maxime obiceretur, quod mala opinari de Caesare soleret; conversus ad accusatorem commotoque similis: « Velim, » inquit, « hoc mihi probes: faciam, sciat Aelianus, et me linguam habere; plura enim de eo loquar ». Nec quidquam ultra, aut statim aut postea, inquisivit. Tiberio quoque de eadem re, sed violentius, apud se per epistolam conquerenti, ita rescripsit: « Aetati tuae, mi Tiberi, noli in hac re indulgere, et nimium indignari, quemquam esse, qui de me male loquatur. Satis est enim, si hoc habemus, ne quis nobis male facere possit » (Octav. C. 51). « Etiam sparsos de se in curia famosos libellos nec expavit (Augustus), nec magna cura redarguit: ac ne requisitis quidem auctoribus, id modo censuit, cognoscendum posthac de iis, qui libellos aut carmina ad infamiam cuiuspiam sub alieno nomine edant » (Octav. c. 55). Augustum autem anno 731 consulatu se abdicavisse ut compluribus aliis facultas daretur honoris illius adipiscendi, a Dione Cassio docemur qui praeterea haec verba addit: « καὶ ἐπί τε τούτῳ ἔπαινον ἔσχε, καὶ ὅτι Λούκιον ἀνθ' ἑαυτοῦ Σήστιον ἀνθείλετο, ἀεί τε τῷ Βρούτῳ συ-

(1) L. l. p. 19.

σπουδάσαντα, καὶ ἐν πᾶσι τοῖς πολέμοις συστρατεύσαντα, καὶ ἔτι καὶ τότε καὶ μνημονεύοντα αὐτοῦ, καὶ εἰκόνας ἔχοντα, καὶ ἐπαίνους ποιούμενον, τό τε γὰρ φιλικὸν καὶ τὸ πιστὸν τοῦ ἀνδρὸς οὐ μόνον οὐκ ἐμίσησεν, ἀλλὰ καὶ ἐτίμησε. καὶ διὰ ταῦτα ἡ γερουσία δήμαρχόν τε αὐτὸν διὰ βίου εἶναι ἐψηφίσατο... » (L. 53).

Tacito denique auctore, Tiberii aetate, Satrius Secundus et Pinarius Natta, Seiani clientes, Cremutium Cordum accusaverunt, « quod editis Annalibus laudatoque M. Bruto, C. Cassium ultimum Romanorum dixisset. » Cremutius vero, ut se defenderet, orationem habuit, a Tacito memoriae proditam, ubi pluribus ostendere studet, in civitate libera et mentem et linguam liberas esse oportere atque, Caesare Augustoque rempublicam regentibus, cuilibet dicendi ac sentiendi quae velit potestatem factam esse. De Augusto autem haec insuper pronuntiavit: « Titus Livius, eloquentiae ac fidei praeclarus in primis, Cn. Pompeium tantis laudibus tulit, ut Pompeianum eum Augustus appellaret; neque amicitiae eorum offecit. » — « carmina Bibaculi et Catulli referta contumeliis Caesarum leguntur: sed ipse divus Julius, ipse divus Augustus et tulere ista et reliquere, haud facile dixerim moderatione magis an sapientia. » (1) Ex his omnibus quae nunc commemoravi, evidenter, opinor, colligitur, neutiquam Horatio, si carmina in Murenam post

(1) *Annal,* IV, 34-36. Commemoratione dignus mihi videtur etiam hic Taciti locus: « .... Cn. Pisonem, ingenio violentum et obsequi ignarum, insita ferocia a patre Pisone, qui civili bello resurgentes in Africa partes acerrimo ministerio adversus Caesarem iuvit, mox Brutum et Cassium secutus concesso reditu petitione honorum abstinuit donec ultro ambiretur delatum ab Augusto consulatum accipere » (*Ann* II. 43). Praeterea si consideraveris carm, III, 15, quo Augusti reditus ex Hispania sollemniter celebratur, consulatum commemorari eo ipso anno a Planco gestum, quo Philippensis pugna commissa erat (« Non ego hoc ferrem calidus iuventa — Consule Planco »), non temere colligere poteris Horatium tam integrae, ut ita dicam, atque solidae libertatis fuisse, ut nullo pacto timuerit ne tristi illa praeteriti temporis recordatione principis animum exacerbaret.

annum 731 reliquorum corpori inseruisset, verendum fuisse, ne Augusti iram moveret. Quare ad solvendam quaestiunculam id potissimum statuendum est, num poeta non exigua erga Maecenatem et Augustum impulsus observantia duas eclogas post annum 731 exclusurus fuerit. Quid vero acturus fuerit, pro certo affirmare mihi quidem subdifficile videtur. Verisimile emim est etiam Horatium, sicuti plerumque in huiusmodi causis fieri solet, subito ac repentino consilio capto, quid sibi faciendum esset debiberaturum fuisse. Itaque fieri poterat, ut a removendis venustis et vulgo iam cognitis carminibus abhorreret, sed illud quoque fieri, ut Maecenati et Augusto reverentiam praestiturus, quamvis invito animo e proditura in lucem sylloga expelleret. Verum si consideres, Augusti animum, Murenae coniuratione detecta tanta ira exulceratum esse ut Maecenatis intimi amici et Proculeii (Licinii fratris), qui principis gratiam sibi conciliaverat et ipsius Terentiae, amoribus ei coniunctae, preces negligeret, ita ut ut quem antea praecipuo honore habuerat, morte puniri iuberet; sponte etiam tibi statuendum est, Horatium, qua fuit exquisita urbanitate et morum elegantia, post annum 731 duo carmina omissurum fuisse.

Opinatur Christius nullo pacto Horatium si carmina addidisset, Augusti animum offensurum fuisse, cum altero carm. — III. 19 — bacchici furoris pleno, convivii profusa licentia, Graecorum dithyramborum more, ita illustretur « ut Murenae auguris honos secundas vel tertias partes obtineat, » altero vero carm. — II. 10 — aurea mediocritas tam praeclare laudetur atque commendetur, « ut praecepta sapientissima non tam ad Licinium quam ad omnes homines pertinere videantur ». At inde, quod carm. II. 19 bacchici furoris plenum sit, vix concludendum puto, Murenae honoris nullam vel exiguam rationem haberi, sed id maxime effici posse, poetam fortasse, cum ista componeret, iuvenili quodam ardore animique incitatione inflammatum fuisse. Carmine autem II. 10 scilicet praecepta leguntur quae soli Licinio evidenter scripta non sint. At omnes omnino Horatii eclogae ita

comparatae sunt ut universae sententiae compluribus locis diffusae minime ad unum tantum hominem sed ad omnes simul spectare videantur.

d) Iam alterum Frankii argumentum inspiciamus. Censet vir doctus, poetam Marcelli, Tibulli et Vergilii decessum carmine aliquo profecto defleturum fuisse, nisi tria odarum volumina iam pridem ante eorum obitum evulgata essent. Iam supra cum de carm. I. 3 fusius disserui, haud cunctanter affirmavi eiusmodi argumenta e mero poetae silentio ducta nullius pretii habenda esse. Itaque hac de re libenter adstipulor Christio, qui istius argumenti gravitatem in dubium vocat, his usus verbis: « Equidem (enim) Horatium meum inficetorum versificatorum omnes suae et fautorum suorum vitae sensus crassa Musa illustrantium adeo uon similem cognovi, ut ex tali silentio quidquam colligi posse negem ». (l. l. p. 18). Praeterea monuisse refert, Vergilium an. 735 a. d. IX. Kal. Octob. supremum diem obiisse, Tibullum autem, teste Domitio Marso. (« Te quoque Vergilio comitem non aequa Tibulle — mors iuvenem campos misit ad Elysios) vel anno 735 exeunte vel ineunte 736 de vita decessisse. Ex quo manifestum est, inde a mense Januario usque ad Septembrem anni 736 octo fere menses superesse, quibus Noster ante amicorum mortes tria carminum volumina edere potuit.

Qnod vero ad Marcellum spectat, operae pretium est quid Kiesslingius senserit exponere. Censuit vir doctus statuendum esse nobis carminum syllogam ante annum 731 exeuntem — quo anno adolescens Marcellus mortuus est — in lucem prodiisse: ineptissime enim Horatium acturum fuisse, si voluminibus post Marcelli mortem Augusto misis odam I. 12 inclusisset atque celebratissimis illis versibus

Crescit occulto velut arbor aevo
Fama Marcelli . . . . .

principis animum recenti luctu afflictum exacerbasset. Rec-

tius autem quo intelligatur quibus argumentis sententiam suam exornaverit, ipsius verba referam. « (Vielmehr) scheint mir es kaum denkbar, dass im Laufe des Trauerjahres, welches zwischen dem Tode des Marcellus gegen Ende 731 und der Abreise Augusts nach dem Osten Herbst 732 liegt, unter dem noch frischen Eindruck dieses Trauerfalles Horaz sollte dem Herrscher das Liederbuch unterbreitet haben, in welchem an bedeutsamer Stelle das Gedicht prangte (I. 12)) welches seiner Zeit den Bund des Iulischen Gestirns mit dem Geschlecht der Marceller als die Erfüllung und Krönung des Baus gefeiert hatte, an dem römische Heldenkraft Iahrhunderte hindurch sich abgemüht. Wie schneidender Hohn hätte da das verheissungsvolle « crescit occulto velut arbor aevo fama Marcellis » in den Zusammensturz aller dynastischen Hoffnungen hineinklingen müssen ». (1) Haec quae primo fere obtutu probabilitatis speciem praebent, longius a verisimili discedere tibi persuadebis, si rem accuratius perpenderis. Longe enim aliter res se habere potuit. Fac, quaeso, Horatium carm. I. 12 anno 730 vel rectius ineunte (vel medio) 731 exarasse (2), antequam Marcellus animam efflaret, atque post eius obitum volumina edidisse, ita ut inter compositum carmen et emissa volumina complurium mensium vel integri anni spatium intercesserit: cur Augusti animum moerore confecisset? cur tandem e sylloga excludendum erat poemation, quod iam diu et principi et Marcelli familiaribus, quin etiam universae Romae notum pervulgatumque esset? Nimirum singula carmina, ex certa aliqua occasione orta, iam diu antequam in unum corpus redigerentur Romae innotescebant et divulgabantur cum recitationibus ab Asinio Pollione institutis tum opera eorum ad quos missa erant eorumque familiarium.

(1) L. l. p. 50.

(2) Carm. I. 12, de quo fusius iam disserui (p.) equidem anno 731 adiudicavi.

Itaque etiam carm. I. 12 iam dudum antequam Marcellus supremum diem obiret, civium manibus tritum erat. Neque ita erat comparatum ut eadem ratione ingratum et molestum esse posset qua carmina in Murenae honorem scripta aliaque id genus, quibus clandestina scelestorum consilia et detectae coniurationes in principis mentem revocarentur. Quin etiam opinor versus illos (« crescit occulto. . . . ») lugentis principis animo, cum tanta iactura non amplius resarciri posset, non moerori sed solacio et medicinae futuros fuisse. Nos quoque, si quem consanguineum vel familiarem nobis dilectum amisimus — neque absurdum credo quae animi nostri sentiunt cum iis quae veteres senserint, comparare, quandoquidem nobis existimandum est, antiquitatis homines propter fortunae vicissitudines et dolore et gaudio eadem fere ratione qua nos affectos esse — nos quoque, inquam, si quem amisimus, aegritudine conficimur, ac tamen nescio quo pacto in maximo dolore aliquid solatii habemus, si deperditi capitis laudes nobis praedicari audimus. Exemplo sit nobis Horatius ipse qui mollissimis versibus odae l. 24 immodicum Vergilii dolorem ex Quinctilii interitu perceptum, non improbavit quidem sed mitiorem reddere studuit, defunctis amici laudes carmini intexens, illius modestiam iustitiam, fidem, animi candorem extollens. Catullus autem carm, XCVI amicum Calvum consolatus est, Quintiliae uxoris morte afflictum; et Manlius (Schwabio auctore (1) Manlius Torquatus cui missum est Catullianum carm. LXI) cum uxorem aetate florentem amisisset, ad dolorem suum deleniendum, Catullum oravit, ut versibus solatium sibi praeberet. Statius (2) quoque aliique poetae aegritudinem animi ut laxarent, demortuorum qui iis carissimi erant, laudes canere maluerunt quam prae dolore obmutescere atque a qualibet commemoratione abstinere. Quam crebro

(1) Cfr. Pascoli *Lyram romanam* p. 55.
(2) Cfr. Silv. V. 3.

etiam nostris diebus hominibus squalore iacentibus et lugubres epistulae et tristia carmina mittuntur, quibus defunctorum virtutes celebrantur! Illud postremo contendam, Kiesslingii opinioni quominus accedamus inde etiam nos impediri quod gratum acceptumque omni tempore carmen Augusto esse debuit quo Horatius, ut eius aures permulceret, cum uno Iove eum composuit atque adulationis modum excedens cecinit:

Gentis humanae pater atque custos,
Orte Saturne, tibi cura magni
Caesaris fatis data: tu secundo
Caesare regnes.

Ad haec omnia igitur si attenderis facile mihi largieris Horatium etiam post Marcelli decessum carm. I. 12 e sylloga exclusurum non fuisse.

III.) Argumentum quod Frankius ex epist. I. 19 et I. 1 duxit, omnium gravissimum puto. E versibus enim epist. 19, quam vulgo ad annum 734 referunt, 32 sqq.:

Hunc ego, non alio dictum prius ore, latinus
Volgavi fidicem; iuvat immemorata ferentem
Ingenuis oculisque legi manibusque teneri.
Scire velis, mea cur ingratus opuscula lector
Laudet ametque domi, premat extra limen iniquus?

evidenter elucet, lyrica carmina, tum cum in epistulis scribendis poeta versabatur, ad finem iam perducta evulgataque fuisse.

Atque e versibus 1–13 epistolae I. 1.

Prima dicte mihi, summa dicende Camena,
Spectatum satis et donatum iam rude quaeris,
Maecenas, iterum antiquo me includere ludo?
Non aedemst eatas, non mens. Veianius armis
Herculis ad postem fixis latet abditus agro,
Ne populum extrema totiens exoret arena.

non absurde ab eleganti poeta expetiturum fuisse, ut diu neglectum genus tractaret. Quanto facilius omnia interpretari licet, si Maecenatis exhortationes ad poemata referri agnoscas, quae Horatius nonnullos ante annos componere intermiserit! Fac enim Horatium anno 730 vel 731 lyricae poesi valedicere constituisse: anno 734, cui vulgo epistulam adscribunt, tam firmiter in proposito illo suo usque perseverat, ut pristinum laborem in fingendis carminibus locatum, « antiqui ludi » exercitationem appellet; Maecenas vero qui Horatiani ingenii lyricam venam nondum exhaustam putat, aegre patitur quod lyrica a poeta neglegantur, eumque iterum iterumque exhortatur, ut consilium illud abiciat. Christius quoque de carminibus cogitavit. Sed ipse cum statuisset, carminum tria volumina primo demum vere anni 735 vel 734 in lucem prodiisse, satis longum intervallum, quod e supra commemoratis epistularum 1:ae et 19:ae locis inter carminum volumina et epistularum librum intercessisse evincitur, e suis etiam rationibus non intercedere animadvertit. Quod cum perspexisset, speciosissimis argumentis demonstrare conatus est, omnia illa quae Horatius de « antiquo ludo » de « mutata mente et aetate », de « versibus et ceteris ludicris » scripsit, parum graves temporis notas esse, quas « dialectica subtilitate et quasi calculis adhibitis » interpretari non deceat, existimavitque omnium luculentissimum Frankii argumentum ista ratione delibitari vel prorsus infringi. (1) At enim eius calculi tam arbitrarii mihi videntur ut pluribus verbis eos refellere vix operae pretium sit. Pro certo igitur statuendum esse puto tum demum Horatium, cum pangendis carminibus abstinuisset, ad componendas epistulas totum se contulisse, ita ut satis longum triennii fere spatium inter editas odas et emissas epistulas intercesserit. Kravvutschkius contra qui quasi Christio se addixerit, nimis pedisseque eius vestigiis in-

(1) L. l. p. 20 sq.

sistit, opinatur « Horatium non absolutis carminibus lyricis demum ad epistulas scribendas accessisse, sed promiscua, ut animus et tempus tulit, quemadmodum Satiris et Epodon cc. scripsit, ita simul lyrica, simul epistulas composuisse. » (1) Huius vero sententiae patrocinium multo antea Campius suscepit, qui carmini I. 29 (ad Iccium) atque epistulae I. 12 (ad Iccium) unum eundemque annum natalem fuisse demonstrare studuit. « Ueberhoupt wird dadurch » inquit vir doctus, « eine gewisse Gleichzeitigkeit der Oden und der Episteln ermöglicht, die auch an sich natürlicher und wahrscheinlicher ist als deren Sonderung nach bestimmten Jahren. Hat Horaz gleichzeitig Satiren und Epoden gedichtet, warum nicht ebenso Episteln und Oden? »(2) Concedendum est sane facile nos similitudine inductos in errorem trahi atque ad pravum istud iudicium de epistularum originibus ferendum allici posse. Ac tamen optimo iure affirmare ausim lyricis demum confectis ad epistulas scribendas poetam accessisse. Neque enim temere neque repente, cum lyricis valedixisset, ad novam poesis rationem colendam transiit, sed ad antiquum et pristinum « sermonum » genus revertit, cui diligenter olim adhibuerat praeparationem, ad quod pro nativa ingenii indole procliviorem se esse sentiebat. Enimvero epistulae, licet dissimilitudine quadam a satiris distineantur, in universum tamen tanta necessitudine atque affinitate cum iis coniunctae videntur, ut recte ab ipso poeta et a Quintiliano (3) eodem « sermonum » nomine appellatae sint. Quod quidem vere a me affirmari posse intelliges, si epistulam 13:am quae reliquas tempore praegreditur consideraveris, tam hilaris enim est in ea sententiarum festivitas ut poeta nullo alio consilio eam composuisse videatur nisi ut ad antiqunm satirarum ludum se revocaret. Campio autem qui saepius, prae-

(1) L. I. p. 22.
(2) L. l. p. 129-142.
(3) Cfr. Quintil. X, 1, 94.

concepta opinione ductus, Horatium duo poemata eodem consilio, uno fere eodemque tempore, eidem amico, scripsisse iudicavit, cavendum sane fuit ne poetae ingenio obtrectaretur, pusillam enim animi sollertiam, quin etiam mentis tarditatem patefecisset Venusimus, si brevi intervallo interiecto eandem eidem viro cantilenam cecinisset.

Sed eo unde digressi sumus revertamur. Videntur mihi et Christius et Krawutschkius commentorum suorum infirmitatem ipsi perspexisse, quamvis diserte id profiteri ausi non sint; epistularum enim editionem ab anno 734 in annum 735 vel 736 ita proferre conati sunt, ut etiam e rationibus quas ipsi iniverunt satis longum temporis spatium inter carmina et epistulas interesse appareret. Verum ne hic quidem feliciter eos rem suam gessisse opinor.

I) Primum enim in epistula vigesima admodum arbitraria versuum 26-28 interpretatione nixi probare student Horatium nominum numeralium et propriorum angustiis inductum esse, ut, quo tempore epistularum librum priorem scripsisset, magis adumbraret quam definiret.

II) Deinde perperam contenderunt, epistulam 18^{am} anno demum 735 vel 736 exaratam esse. Censent enim v. 54-57 « refigendi » verbum proprio sensu accipiendum esse, ita ut ipsum Augustum Romae Parthorum signa in dedicata aede Martis Ultoris « denuo fixisse » denotet:

denique saevam
Militiam puer et Cantabrica bella tulisti
Sub duce, qui templi Parthorum signa refigit
Nunc et, si quid abest, Italis adiudicat armis

At « refigendi » verbum hoc modo si explices nimis languidum sit sine ulla vocabuli accessione quo templum, ubi arma denuo fixa sint, designetur. Fortasse Christius ita verba iungenda esse credidit: « Parthorum signa — templis (sc. Romanis) refigit nunc » Quod vix probabile dixeris si versus 7 sqq. carm. IV, 15 contuleris:

Et signa nostro restituit Iovi
Derepta Parthorum superbis
Postibus (1)

Sed interpretationi quam Christius proposuit illud potissimum refragatur, quod alios quoque locos exhibere possumus, ubi « refigere » sicut hic « evellendi » significationem prae se fert — Hor. carm. I. 28. 11 clipeo refixo; Epod. 17, 5 refixa caelo devocare sidera; Sil. It. X. 601 clipeos in bello refigite captos; Cic. Phil. 12, 5 extrem. — (2); at nullum reperitur exemplum, quo alteram quam Christius defendit, significationem neque falsam neque verbo alienam esse evincatur. Praeterea etiamsi Christio adstipulari liceat, e duobus, quibus, epistulam assignavit annis, unice 736um eligere opus sit. Anni enim 735 mense Maio, in quem Christius dedicationis sollemnitatem incidisse putat, Roma absens Augustus fuit, Octobri demum mense ex Samo insula in Italiam reversus, urbem ingressus est. Nihil est igitur cur epist. 18a anno 734 abiudicetur. Quin etiam praeter validum huius anni indicium, quod in verbis « refigit nunc » continetur, alterum etiam deprehenderim in verbis « Italis adiudicat armis » quae Tigranem in Armeniam restitutum tangere videntur.

III) Epistulam autem 12am: cuius extremi versus

Ne tamen ignores, quo sit Romana loco res:
Cantaber Agrippae, Claudi virtute Neronis
Armenius cecidit; ius imperiumque Phraates
Caesaris accepit genibus minor; aurea fruges
Italiae pleno defundit Copia cornu.

(1) Cfr. Etiam *Verg. Aen.* II, 503 sq.:

Quinquagiuta illi thalami, spes ampla nepotum
Barbarico postes auro spoliisque superbi
Procubuere

(2) Cfr. Etiam Plin. 36. 2. 2, Cels. 6. 15.

satis dilucidam temporis notam continent (annum enim 734 respiciunt) ad annum 735 vel 736 idcirco proferre conatus est Krawutschkius quod parum verisimile credidit « poetam nuntio de rebus Parthicis et Hispanis compositis Romam adlato statim ad illam scribendam accessisse » (l. l. p. 8) Huius tamen argumenti tanta est levitas atque exilitas, ut verba ad illud refutandum consumere opus non sit. Illud potius monuisse iuvabit, quod et Krawutschkium et omnes fere interpretes praeteriit: Cantabros, teste Dione, anno 735 devictos esse; reliqua contra quae Iccio narrantur anno 734 peracta. Sed quam parvi hoc loco aestimanda sit Dionis auctoritas, qui quidem in definiendis temporibus rerum a se descriptarum saepius parum accuratus deprehenditur, ex ipsis Horatianis versibus atque epistulae consilio facile intellegitur. Qui tandem enim fieri potuit, ut Horatius, cum amicum in Sicilia commorantem atque alienis negotiis et philosophiae studiis distentum de rebus nuper gestis certiorem facere vellet, mentione de victis Cautabris iniecta, ea praeterea commemoraret quae inde a superiori anno vulgo cognita et celebrata essent? Ridendi scilicet materiem praebuisset poeta, si anno 735, tamquam rem nuperrime gestam Iccio narrasset, Phraatem, fracta tandem superbia Augusti iuri et imperio se subiecisse, huius enim victoriae rumor iam anno 734 longe lateque per totam Italiam manaverat. Neque minime mirum! quippe voluntaria Parthorum deditio ita fama in maius elata erat ut nummis hac de causa percussis Phraates ad Augusti genua procumbens fingeretur. (1) Haec si perpenderis atque praeterea consideraveris iam anno 732 Agrippam bellum Cantabris intulisse et verbis « aurea fruges Italiae pleno defundit Copia cornu » largissimam agrorum anni 734 messem significari, sponte etiam concedes omnes simul de quibus disseruimus res gestas peropportune in annum 734 quadrare.

(1) Cfr. Sueton. Octav. 22 et Mommsen. *Monum Ancyr.* p 9.

[illegible] Christius in epist. 17.[illegible] [illegible] Augustus una cum Agrippa [illegible] Quod enim e « Mo[illegible] » [illegible] Cassii historiis (a [illegible]), concludendum [illegible] triumphum egisse. Mo[illegible] a. 714 et a. [illegible] a. 725. Cum deinde [illegible] iis supersedi ... » [illegible] Cassius de ingressu [illegible]: LIV, 8 ἐπεὶ δὲ [illegible] προπαρεσκευά[illegible]. Quamquam Christius [illegible] Cassio temere denegavit [illegible]. Sed [illegible] verba optime congruunt [illegible] de Agrippa scripsit: [illegible] προπράξεως ψηφισθέντα [illegible].

Sed [illegible] mea eo usque progressus sum ut quod probabilius mihi de tota controversia videatur paucis colligere praestet. Ex accurata igitur investigatione cum animadvertam, neque fortissimis rationibus evinci posse ullum e prioribus libris carmen post annum 731 concinnatum esse, neque reliqua Frankii argumenta — in universum quidem — parvi ducenda esse, Campii vero, Christii ... aliorumque rationes, praesertim in epistularum temporibus constituendis, parum firmas esse, saepius etiam annalium fidei repugnantes deprehendi, statuendum mihi videtur, tres priores carminum libros ante exeuntem annum 731, epistularum vero priorem librum anno 734 publici iuris factos esse.

Iam vero ut absoluto fere operi tamquam fastigium imponam, consentaneum mihi videtur et Mommsenii coniecturam, quae a me institutam quaestionem attingit, perpendere, et quae Kiesslingius de ratione protulit, qua carmina

Horatiana in libri I[1] exordio disposita sunt. commemorare et excutere, ut inde etiam, si fieri poseit, iis quae conclusimus robur atque firmamentun accedat.

Atque imprimis Mommsenius ex epist. I. 13 satis certe colligi porse opinatur, odarum syllogam anno 730 emissam esse: e verbis enim « viribus uteris per clivos, flumina, lamas » optimo iure cogi efficique posse Vinium a poeta Alpes transeuntem fingi, ut Augusto ex Hispania Galliaque redeunti occurrat. « Iene Worte » inquit doctissimus vir, « (nun) zeigen einerseits, wie Lachmann richtig bemerkt, dass der Bote den Landweg einschlug; andrerseits aber konnte der Dichter nicht füglich seinen Boten über Berge und Ströme und Sümpfe gehen heissen, wenn es sich um den Weg handelte von Rom nach dem Albanum oder nach Baiae. Dagegen passt die Wendung so genau, wie horazische Wendungen passen müssen, wenn der Bote, um zum Kaiser zu gelangen, die Alpen zu passiren hatte; und dies führt eben auf die erste Hälfte des J. 730, wo Augustus allem Anscheine nach von Spanien durch Gallien nach Italien zurückgieng. » (1)

At etiamsi largiamur haud infacete Horatium per ludum et iocum singulare illud tabellarii munus Vinio Asellae deferre potuisse, cavendum est tamen ne singulorum poematii verborum notionem nimis accurate spectantes totius epistulae sensum perverse atque ad arbitrium expediamus. Admodum enim probabile fit Horatium etiam in poetica fictione et ingenii lusu longe a verisimili decedere noluisse. Quocirca neque iis te assentiri velim, quorum iudicio verba « per clivos, flumina, lamas » etiam maritimo itineri conveniunt in Siciliam vel in Orientem suscepto, (quas in regiones Augustus anno 732 se contulit) neque rursus te credere velim Vinio mandatum esse ut altissimos et praeruptos montes ascenderet.

(1) Th. Mommsen. *Die Litteraturbriefe des Horaz.* in ephemeride *Hermes* inscripta, vol. 15, p. 106.

Atque duo praeterea carmina quae « signatis voluminibus » continebantur Mommsenii coniecturae obstare et refragari mihi videntur: carm. III, 14 quod rectissime Kiesslingius eo consilio compositum esse opinatur, ut principi non Alpes exsuperanti sed iam in urbem ingresso tamquam munus deferretur; (1) atque carm, I. 12, quod equidem non ad annum 730 sed ad a. 731 referendum esse ostendi.

Kiesslingius vero opinatur facile ex ratione atque ordine, quo duodecim priora libri I[i]: carmina se excipiunt, argui posse, odarum syllogam anno 731 emissam esse. Horatium enim anno 731 cum edenda poematia in tres libros distribueret, priora duodecim carmina honorifico illo atque insigni, quem etiam nunc obtinent, loco, eo consilio digessisse, ut cum numerorum et argumentorum copia et varietate, tum praeclarorom virorum auctoritate dignitateque operis veluti frontem distingueret atque exornaret; quarto autem loco carmen inseruisse, quod ad. L. S. Quirinum miserat, ut insignis illius viri munus, qui medio fere anno (mense Junio anni 731) in Augusti loco consul suffectus erat, faustis ominibus prosequeretur. Concedatur mihi, quaeso, doctissimi viri verba referre, quo rectius quae senserit intelligantur. « Neben der Rücksicht auf die Form ist aber die Auswahl in gleicher Weise durch den Wunsch bedingt, einzelnen namhaften oder dem Dichter besonders nahestehenden Persönlichkeiten eine Aufmerksamkeit dadurch zu erweisen, dass er den Ausdruck der Gedanken und Empfindungen welche ihn bewegen mit ihrem Namen verknüpft, sie gewissermassen als die ersten unmittelbaren Empfänger seiner politischen Gaben vor den Augen des grösseren Leserkreises als diejenigen hervorhebt, von denen er zunächst eine verständnissvolle Würdigung seiner Schöpfungen erwarten darf. » (2)

(1) L. l. p. 49, adn. 2.
(2) L. l. p. 51.

Equidem vereor ut quidquam certi de ratione qua Horatiana carmina ordinata atque disposita sint, in universum quidem pronuntiare nobis liceat; (1) ac tamen quod ad tria priora (lib. I.) attinet libenter Kiesslingio, doctissimo atque elegantissimo poematum Horatianorum interpreti, accedo, cum omnibus clarissime appareat (quod optime et Christius et Buechelerus et complures veteres interpretes animadverterunt) Horatium ipsum primo quidem loco carmen posuisse quod ad Maecenatem, ad « dulce decus » et « praesidium » miserat, secundum vero locum Augusto adsignavisse, nobilissimo illi reipublicae principi, tertium denique Vergilio suo, dulcissimo amico et poetarum principi. Quod vero ad reliqua novem carmina spectat, cavendum est nobis ne nimium praeclarissimi critici sagacitati indulgentes quae levia sint et commenticia, probabilia esse iudicemus. Optimo autem iure ita me statuisse agnosces si ordinem quo duodecim illa carmina distributa sunt in mentem revocaveris.

	Carmina	Metra (2)
I	ad Maecenatem	Asclepiadeum primum
II	ad Caes. Augustum	Sapphicum primum v. minus
III	ad Vergilii navem	Asclepiadeum quartum
IV	ad L. Sestium	Archilochium quartum
V	ad Pyrrham	Asclepiadeum tertium
VI	ad M. Vips. Agrippam	Asclepiadeum secundum
VII	ad Munatium Plancum	metrum dactylicum (Alcmanium)
VIII	ad Lydiam	Sapphicum secundum v. maius
IX	ad Thaliarchum	Alcaicum
X	Hymnus ad Mercurium	Sapphicum minus
XI	ad Leuconoen	Asclepiadeum quintum
XII	ad Caes. Augustum	Sapphicum minus

(1) Videtur sane non caeco casu effectum esse ut novem priora carmina metrorum varietate inter se differant — inde tamen temere te Muellero concedere nolim novem numero ista carmina idcirco fuisse quod novem numero Musae fuerint (cfr. Orazio. Luciano Müller — Biografia tradotta da Giov. Decia — Firenze 1889 p. 103 sq.)

(2) Iisdem quibus Kiesslingius metrorum appellationibus usus sum.

Ac primum quidem si ad brevem quem tibi subieci conspectum attenderis admodum singulare tibi videbitur Horatium non omnium numerorum quibus in lyricis usus est, specimen legentibus proposuisse, carmina vero hipponacteo atque ionico metro composita — quae libro II. continentur — exclusisse. Huic vero argumento nimium tribuere si nolis, cur tandem, poeta, varietate, quam sibi ex Kiesslingii sententia, proposuerat, neglecta, tam brevi spatio interiecto tria deinceps carmina intexuit metro sapphico minori condita (carm. II, X, XII)? Quamquam Kiesslingius subtili digressione ostendere conatus est, etiamsi carmen X^{um} secundi carminis vestigia premere videatur, utriusque tamen in metris quaedam deprehendi, quibus alterum ab altero mirum quantum discrepent. Quod ad demonstrandum tam artificiosis usus est rationibus ut brevitatis causa (praesertim cum artius cum quaestione nostra non cohaereant) ea commemorare supersedeam. Deinde ut silentio praeteream et Leuconoen et Pyrrham et Lydiam et Thaliarchum ea nomina esse quorum splendore ac dignitate Horatium volumina exornare voluisse parum verisimile sit, qui tandem fieri potuit ut carmen ad Pyrrham odae praeponeret qua Vipsanius Agrippa celebraretur? Kiesslingii ipsius verba audiamus. « Dass dieses Gedicht (ad Agrippam) erst an sechster Stelle steht darf befremden, hat aber ersichtlich seinen guten Grund. Mit Nachdruck weist in demselben Horaz darauf hin, dass er seine eigentlichen Stoffe aus dem Gebiete des leichteren erotischen und sympotischen Liedes finde: nothwendig musste also doch mindestens eine derartige Kleinigkeit voraufgegangen sein, sollte der Leser nicht stutzen. Dieser Erwägung verdankt offenbar die zierliche fünfte Ode auf Pyrrha ihren Platz. » [1] Quae quidem tamquam ficta et speciosa prorsus reicienda esse quis est qui non videat?

(1) L. I. p. 54.

Praeterea estne credibile, quod Kiesslingio placuit, carmini I. 4, (quod vulgo iuvenili poetae aetati adiudicant atque procul dubio multo ante annum 731 ortum est) verba « beate Sesti » anno 731 atque eo consilio inserta esse ut prospera Sestii fortuna, consulatum tum gerentis, extolleretur ? Minime vero, praesertim si consideres verba illa neutiquam eo sensu accipienda ut Sestii felicitas e consulatu repetita celebretur, sed rectius ita intelligenda ut ad « operosiores » Sestii divitias referantur, pallidaeque morti opponantur quae « aequo pulsat pede pauperum tabernas regumque turres. » Quodsi poeta anno 731 gratulandi causa honorifico loco carmen consulto inseruisset, ridendi profecto materiem idcirco praebuisset, quod consuli gratulaturus nullas alias eius laudes praeter « puerorum amorem » praedicavisset, qui non tecte quidem tangitur sed aperte significatur verbis :

Nec tenerum Lycidan mirabere, quo calet iuventus
Nunc omnis et mox virgines tepebunt.

Postremo Kiesslingii coniecturam plane ad refellendam nescio an omnium gravissimum documentum sit carm. VII ad Plancum. In quo non pauca esse digna quae reprehendantur et critici et interpretes rectissime monuerunt, cum sententiarum atque partium tam fluxa sit iunctura atque cohaerentia ut inde e v. 15° novum fere poemation incipere videatur. Neque iniuria veteres quidam interpretes in odae compositione ita offenderunt ut ex Porphyrionis testimonio duo carmina in unum fere corpus connexa atque copulata esse coniecerint. Quod iudicium si tibi non arrideat, illud tamen concedes, licentius poetam, ne dicam audacius inde a v. 15° : a proposito divagatum esse, vel sententiam aliquam intermediam, qua duae partes inter se iungerentur praetermissam. Quocirca optimo iure monuit Buechelerus omnibus prope Horatianis carminibus obscurius hoc et involutius sibi visum esse. Sed utut res se habet, quo tandem iure contendere licebit, Horatium septimum locum de industria

atque honoris causa carmine descripsisse, quod ex consentient omnium iudicio ab elegantiae laude non alienum est! Praeterea vix adducor ut credam posse in animo habuisse eum hominem observantia colere, quem nullo pacto amicitia sua dignum credere posset. Quod quidem quo magis perspicuum sit, quam brevissime Planci vitam perlustremus. Munatius Plancus, mortuo Caesare, cui addictus fuerat, primum a partium certaminibus abstinuit, deinde, adhortante Cicerone, operam dedit ut Caesaris interfectores veniam et incolumitatem impetrarent atque Brutus quodammodo in pristinam gratiam restitueretur. Tum cupiditate incensus ad rempublicam altera ex parte accedendi, Cicerone auctore, senatus partes amplexus est. Sed non multo post, Ciceronis admonitionibus neglectis, in animum inducere non potuit ut arma contra Antonium caperet. Quin etiam, Asinio Pollione internuntio, Antonio se applicuit. Consul vero anno 712 fratrem suum, sicuti Lepidus, neci cum obtulisset, sui irridendi facultatem dedit Romanis, qui acerba illa facetia in utrumque consulem usi sunt: « De Germanis non de Gallis duo triumphant consules » Tum vero Syriam provinciam administravit Antonii nomine, quo repente derelicto, post pugnam Actiacam ad Octavianum transfugit eique ut Augusti cognomen imponeretur senatui suasit. Fuit igitur Munatius varius admodum atque inconstans itaque procul dubio ne minima quidem civium aestimatione dignus (1) Quapropter non iniuria Velleius male de eius ingenio atque moribus iudicavit. Neque facile causam excogitare possum cur Kiesslingius haec scripserit. « Die geringschätzige Beurtheilung...... beruht lediglich auf der Animosität, die Welleius, doch wahrhaftig keine Autorität, aus Gott weiss welcher Veranlassung, so oft er auf Plancus zu sprechen kommt an den Tag legt. » (l. l. p. 61).

(1) Cfr. Cic. ad fam. 10, 6; 10, 13; Plut. Ant. 18; App. b. civ. 3, 97; 4, 37; Vell. 2, 67; Suet. Oct. 7; Plin. 7, 10, 12.

imvero etiamsi Velleii auctoritati nimium tribuendum
e deneges, eum tamen in depingendis Munatii moribus
malevolentia et obtrectatione tam alienum fuisse largieris
mendacii eum coarguere non deceat. Quid quod Plinius,
eger atque incorruptus auctor, nobis tradidit, Munatium,
m mors ei impenderet, a civibus spretum atque irrisum
se? Cui narrationi optime conveniunt etiam quae apud
utarchum et Appianum leguntur. Optimo igitur iure Dru-
annus affirmavit, Munatium, omnia ad suam utilitatem cum
ferret, exspectationes, quas de se concitavisset, destituisse,
que amicorum secreta consilia prodidisse, ut ab eorum
imicis mercedem consequeretur.

Haec omnia si consideraveris, verisimile esse animad-
rtes Horatium urbanitate quidem et misericordia permo-
m carmen pepigisse quo Munatii « Sabinis » accolentis
istitiam abstergeret, parum contra probabile fieri, amici-
ae eum vinculis cum homine infido atque cortice leviore
niunctum fuisse. Quod si statuimus, optimo etiam iure
lligere nobis licet, ne septimum quidem carmen a poeta
so de industria singulari atque honorifico loco positum
se.

Haec sunt opera et opuscula, quae mihi ad solvendam quaestionem adiumento fuere.

I) Masson: Jani templum Christo nascente reseratum. Roterodami 1700.

II) Masson, Q. Horatii. Flacci Vita ordine chronologico delineata. Lugduni Batavorum 1708.

III) Brevis disputatio Horatii operibus a Bentleio editis praemissa.

IV) Horatii vita a Grotefendio descripta, quae legitur in Encyclopedia litterarum, ab Erschio et Grubero edita, vol. 10, p. 452 sqq.

V) Grotefend, Schriftstellerische Laufbahn des Horatius, Hannover 1849.

VI) Kirchner, Quaestiones Horatianae, Numburgi 1834.

VII) Franke, Fasti Horatiani, Berolini 1839.

VIII) Leps, Ist die Meinung Bentlei's über die Zeit in der die einzelnen Bücher der Gedichte des Hor. verfasst worden sind, die richtige? Neurupin 1828.

IX) Teuffel, Prolegomena ad Horatii chronologiam, quae inserta sunt diario « Zeitschrift für die Altertumswissenschaft » inscripto, anni 1842, p. 1103–1116.

X) Fuerstenau, De carminum aliquot Horatianorum chronologia, Hersfeld 1838.

X) Streuber, Ueber die Chronologie der Dichtungen des Horaz, Basel 1843.

XII) Horatii vita a Zumptio descripta, quae praeposita est Satiris a Heindorfio editis et illustratis, Lipsiae 1843.

XIII) W. E. Weber, Q. Horatius Flaccus als Mensch und Dichter Jena 1844.

XIV) Duentzer, Kritik und Erklärung der horazischen Gedichte, III. B. Braunschweig 1843.

XV) Weichert, Poetarum Latinorum reliquiae, Lipsiae 1830.

XVI) Lübker, Commentar zu Horaz's Oden, Buch I-III, Schleswig 1841.

XVII) Apitz, De aetate poematum Horatianorum a Bentleio inventa, Berolini 1853.

XVIII) Horatii vita a Stallbaumio illustrata et Horatii scriptis ab ipso editis praefixa (Lipsiae 1854).

XIX) Estré, Prosopographia Horatiana, Amstelodami 1846.

XX) Feldbausch, Zur Erklärung des Horaz, Leipzig 1853.

XXI) Dionis Cassii Cocceiani « Historia Romana » ed. L. Dindorfius, Lipsiae 1863.

XXII) Dillenburger, Q. Horatii Flacci, opera omnia, editio VI, Bonnae 1875.

XXIII) Theodor Obbarius, Q. Horatii Flacci Carmina, Jenae 1848.

XXIV) H. Schütz, Q. Horatius Flaccus, I. Theil, Oden und Epoden Berlin 1874.

XXV) Scholia Horatiana, ed. F. Pauly.

XXVI) A. Kiessling, Zu augusteischen Dichtern (Philologische Untersuchungen, II. Heft), Berlin 1881.

XXVII) A. Kiessling, Q. Horat. Flaccus, I. Theil, Oden und Epoden, 2.ᵉ Auflage, Berlin 1890.

XXVIII) Christ, Fastorum horatianorum epicrisis, Monachii 1877.

XXIX) Campe, Zu Horatius, Neue Jahrb. f. Philologie 1877.

XXX) Fr. Nowotny, Quo tempore tres priores Horatii carminum libri scripti et editi sint. Gymnas. Progr. Iglau 1877–78.

XXXI) Fr. Nestler, Quo tempore Horatii tres priores carm. libri publici iuris facti sint, Pragae 1879.

XXXII) Aloi Krawutschke, Quibus temporibus Horatium tres priores carm. libros edidisse verisimillimum sit, Gymn. Progr. Troppau 1889

XXXIII) Ed. Anspach, Die Horazischen Oden des I. Buches in Bezug auf Interpolation, Aufbau und Zeit der Abfassung, Gymnas. Progr. Cleve I. Theil 1888, Th. 1889.

XXXIV) O. Ribbeck, Geschichte der röm. Dichtung, II. Theil Stuttgart, 1889.

Reliqua opera et scripta, quae hic laudare supersedeo, praebita occasione commemoravi.

CORRIGENDA

Pag.	8	v.	34	legendum:	coniectura
»	14	»	19	»	delirantis
»	18	»	9	»	noluisse
»	19	»	31	»	nimium
»	22	»	30	»	paucis
»	47	»	10	»	Augustus
»	»	»	18	»	einen gott
»	52	»	1	»	praefectum
»	»	»	5	»	praefectura
»	56	»	11	»	apposuit
»	62	»	8	»	infortunio
»	67	»	6	»	nihil
»	72	»	6	»	continuo
»	75	»	27	»	exeunte anno 735
»	80	»	16	»	Forsitan
»	82	»	30	»	iubetur
»	95	»	23	»	ibimus, ibimus
»	100	»	20	»	iudiciis
»	116	»	22	»	defuncti
»	125	»	5	»	posse
»	127	»	33	»	idcirco

In levioribus mendis meae incuriae indulgeas velim.

atque honoris causa carmine distinxisse, quod ex consentienti omnium iudicio ab elegantiae laude tam alienum est? Praeterea vix adducor ut credam poetam in animo habuisse eum hominem observantia colere, quem nullo pacto amicitia sua dignum credere posset. Quod quidem quo magis perspicuum sit, quam paucissimis Planci vitam perlustremus. Munatius Plancus, mortuo Caesare, cui addictus fuerat, primum a partium certaminibus abstinuit, deinde, derhortante Cicerone, operam dedit, ut Caesaris interfectores veniam et incolumitatem impetrarent utque Brutus quodammodo in triumvirum gratiam restitueretur. Tum cupidine incensus ad rempublicam aliqua ex parte accedendi, Cicerone auctore, senatus partes amplexus est. Sed non multo post, Ciceronis adhortationibus neglectis, in animum inducere non potuit ut arma contra Antonium caperet. Quin etiam, Asinio Pollione internuncio, Antonio se applicuit. Consul vero anno 712 fratrem suum, sicuti Lepidus, neci cum obtulisset, sui irridendi facultatem dedit Romanis, qui acerba illa facetia in utrumque consulem usi sunt: « De Germanis non de Gallis duo triumphant consules » Tum vero Syriam provinciam administravit Antonii nomine, quo repente derelicto, post pugnam Actiacam ad Octavianum transfugit eique ut Augusti cognomen imponeretur senatui suasit. Fuit igitur Munatius varius admodum atque inconstans itaque procul dubio ne minima quidem civium aestimatione dignus (1) Quapropter non iniuria Velleius male de eius ingenio atque moribus iudicavit. Neque facile causam excogitare possum cur Kiesslingius haec scripserit. « Die geringschätzige Beurtheilung...... beruht lediglich auf der Animosität, die Welleius, doch wahrhaftig keine Autorität, aus Gott weiss welcher Veranlassung, so oft er auf Plancus zu sprechen kommt an den Tag legt. » (l. l. p. 61)

(1) Cfr. Cicr. ad fam. 10, 6; 10, 13; Plut. Ant. 18; App. b. civ. 3, 97; 4, 37; Vell. 2, 67; Suet. Oct. 7; Plin. 7, 10, 12.

Enimvero etiamsi Velleii auctoritati nimium tribuendum esse deneges, eum tamen in depingendis Munatii moribus a malevolentia et obtrectatione tam alienum fuisse largieris ut mendacii eum coarguere non deceat. Quid quod Plinius, integer atque incorruptus auctor, nobis tradidit, Munatium, cum mors ei impenderet, a civibus spretum atque irrisum esse? Cui narrationi optime conveniunt etiam quae apud Plutarchum et Appianum leguntur. Optimo igitur iure Drumannus affirmavit, Munatium, omnia ad suam utilitatem cum referret, exspectationes, quas de se concitavisset, destituisse, atque amicorum secreta consilia prodidisse, ut ab eorum inimicis mercedem consequeretur.

Haec omnia si consideraveris, verisimile esse animadvertes Horatium urbanitate quidem et misericordia permotum carmen pepigisse quo Munatii « Sabinis » accolentis tristitiam abstergeret, parum contra probabile fieri, amicitiae eum vinculis cum homine infido atque cortice leviore coniunctum fuisse. Quod si statuimus, optimo etiam iure colligere nobis licet, ne septimum quidem carmen a poeta ipso de industria singulari atque honorifico loco positum esse.

Haec sunt opera et opuscula, quae mihi ad solvendam quaestionem adiumento fuere.

I) Masson: Jani templum Christo nascente reseratum. Roterodami 1700.

II) Masson, Q. Horatii. Flacci Vita ordine chronologico delineata. Lugduni Batavorum 1708.

III) Brevis disputatio Horatii operibus a Bentleio editis praemissa.

IV) Horatii vita a Grotefendio descripta, quae legitur in Encyclopedia litterarum, ab Erschio et Grubero edita, vol. 10, p. 452 sqq.

V) Grotefend, Schriftstellerische Laufbahn des Horatius, Hannover 1849.

VI) Kirchner, Quaestiones Horatianae, Numburgi 1834.

VII) Franke, Fasti Horatiani, Berolini 1839.

VIII) Leps, Ist die Meinung Bentlei's über die Zeit in der die einzelnen Bücher der Gedichte des Hor. verfasst worden sind, die richtige? Neurupin 1828.

IX) Teuffel, Prolegomena ad Horatii chronologiam, quae inserta sunt diario « Zeitschrift für die Altertumswissenschaft » inscripto, anni 1842, p. 1103–1116.

X) Fuerstenau, De carminum aliquot Horatianorum chronologia, Hersfeld 1838.

X) Streuber, Ueber die Chronologie der Dichtungen des Horaz, Basel 1843.

XII) Horatii vita a Zumptio descripta, quae praeposita est Satiris a Heindorfio editis et illustratis, Lipsiae 1843.

XIII) W. E. Weber, Q. Horatius Flaccus als Mensch und Dichter Jena 1844.

XIV) Duentzer, Kritik und Erklärung der horazischen Gedichte, III. B. Braunschweig 1843.

XV) Weichert, Poetarum Latinorum reliquiae, Lipsiae 1830.

XVI) Lübker, Commentar zu Horaz's Oden, Buch I-III, Schleswig 1841.

XVII) Apitz, De aetate poematum Horatianorum a Bentleio inventa, Berolini 1853.

XVIII) Horatii vita a Stallbaumio illustrata et Horatii scriptis ab ipso editis praefixa (Lipsiae 1854).

XIX) Estré, Prosopographia Horatiana, Amstelodami 1846.

XX) Feldbausch, Zur Erklärung des Horaz, Leipzig 1853.

XXI) Dionis Cassii Cocceiani « Historia Romana » ed. L. Dindorfius, Lipsiae 1863.

XXII) Dillenburger, Q. Horatii Flacci, opera omnia, editio VI, Bonnae 1875.

XXIII) Theodor Obbarius, Q. Horatii Flacci Carmina, Jenae 1848.

XXIV) H. Schütz, Q. Horatius Flaccus, I. Theil, Oden und Epoden Berlin 1874.

XXV) Scholia Horatiana, ed. F. Pauly.

XXVI) A. Kiessling, Zu augusteischen Dichtern (Philologische Untersuchungen, II. Heft), Berlin 1881.

XXVII) A. Kiessling, Q. Horat. Flaccus, I. Theil, Oden und Epoden, 2.ª Auflage, Berlin 1890.

XXVIII) Christ, Fastorum horatianorum epicrisis, Monachii 1877.

XXIX) Campe, Zu Horatius, Neue Jahrb. f. Philologie 1877.

XXX) Fr. Nowotny, Quo tempore tres priores Horatii carminum libri scripti et editi sint. Gymnas. Progr. Iglau 1877–78.

XXXI) Fr. Nestler, Quo tempore Horatii tres priores carm. libri publici iuris facti sint, Pragae 1879.

XXXII) Aloi Krawutschke, Quibus temporibus Horatium tres priores carm. libros edidisse verisimillimum sit, Gymn. Progr. Troppau 1889

XXXIII) Ed. Anspach, Die Horazischen Oden des I. Buches in Bezug auf Interpolation, Aufbau und Zeit der Abfassung, Gymnas. Progr. Cleve I. Theil 1888, Th. 1889.

XXXIV) O. Ribbeck, Geschichte der röm. Dichtung, II. Theil Stuttgart, 1889.

Reliqua opera et scripta, quae hic laudare supersedeo, praebita occasione commemoravi.

CORRIGENDA

Pag.	8	v.	34	legendum :	coniectura
»	14	»	19	»	delirantis
»	18	»	9	»	noluisse
»	19	»	31	»	nimium
»	22	»	30	»	paucis
»	47	»	10	»	Augustus
»	»	»	18	»	einen gott
»	52	»	1	»	praefectum
»	»	»	5	»	praefectura
»	56	»	11	»	apposuit
»	62	»	8	»	infortunio
»	67	»	6	»	nihil
»	72	»	6	»	continuo
»	75	»	27	»	exeunte anno 735
»	80	»	16	»	Forsitan
»	82	»	30	»	iubetur
»	95	»	23	»	ibimus, ibimus
»	100	»	20	»	iudiciis
»	116	»	22	»	defuncti
»	125	»	5	»	posse
»	127	»	33	»	idcirco

In levioribus mendis meae incuriae indulgeas velim.





